20 —

6
21-d
18

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 H
41

iotheca
oll. Rom.
. Jesu
– 6

20 b. 15.
20
e
48

5 - 21 d 18

Digitized by Google

IACOBI BIDERMANI
E SOCIETATE IESV

HERODIADOS.

LIBRI TRES,

Collegij Rom. Siue Soc. Jesu
cat. inscr.

DD. INNOCENTES CHRISTO-MARTYRES,

AB HERODE TYranno crudeliter cæſi.

B. S.

Formis Academicis.

DILINGAE

Cum Priuilegio Cæſaris,

Auctoritate Maiorum.

Apud VDALRICVM REM.

CIↃ. IↃC. XXII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

TVNC
HERODES. IRATVS. EST. VALDE
ET. MITTENS
OCCIDIT. OMNES. PVEROS
QVI. ERANT. IN. BETHLEHEM
ET. IN. OMNIBVS. FINIBVS. EIVS
A. BIMATV. ET. INFRA

Matth. 2.

SERENISSIMO PRINCIPI

PHILIPPO GVILIELMO

WOLFG. GVILIEL. F.

Comiti Palatino Rheni,

Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ & Montium Duci, &c.

Principi Iuuentutis:

IACOBVS BIDERMANVS

E SOCIETATE IESV.

LECTISSIME PRINCEPS,

INFANTES tibi ſcribimus, ſed jam militiæ gnaros, & *bimulos* heroas; quos in cunis pleroſque, & adhuc naſcentes bella excepêre oppidò cruenta: vbi, quamquam nec ætas aderat, nec vires, quibus

telum ſtringere, hoſtemque ferro ferire ſinerentur; ita tamen de ſinu pugnârunt inermes, vt cùm acie victi caderent omnes, omnes de hoſtis victoriâ triumpharent. Hos, inquam, tales tibi mittimus, lactentem turbam. Eccui enim alteri ephebulos hos *purpuratos* inſcribere mallemus? Suſpicis dudum amasque tu illos; & impensè te illi. Nec dubium eſt, quin vtrisque ſuæ ſint cauſſæ.

Nondum ab illorum ætatulâ tua te *prætexta* longè ſeiunxit: & eſt morum elegantiſſimorum adhuc innocentia ea, quam ipſi ſupparem ſuæ lubentes agnoſcunt: eaque ſimilitudine delectati, *Sereniſſimo clienti* beneuolè patrocinantur. Ad hæc præclarum eſt aliud, neſcio quod ſtudium, quo eos tibi haud paullò arctius coniungis. Nam, vt teneri etiamdum illi ac *bullati* milites, FORTIA PATI pro *Religione* generosè didicerunt; ita te vident pulchris initijs iam nunc puerum oſtendere pro eâdem illâ propediem FORTIA FACTVRVM.

Cete-

Ceterùm eſt, cur tibi, quem *ſexennem* adhuc, non modò ad hanc *Prætextatæ* ætatis innocentiam exprimendam; ſed ad HEROVM quoque décora æmulanda, iam docilem videmus, prolixè gratulemur: quòd in eâ fortunâ genitus es, vt non longè tibi ſint inquirendi, quorum heroicas virtutes imitêre. Exemplis enim domeſticis abundas: quando in oculis aſſiduè verſantur, PARENTVM, conſpicua in DEVM *Pietas*; *Charitas* erga ciues admiranda; aduerſus inopes effuſa *Liberalitas*; *Humanitas* in omnes, & quidquid aliarum virtutum lucere in principe fortunâ poteſt. Quibus tu (niſi opum cæleſtium, quàm caducarum alij limites forent) id vnum ſuccenſere poſſes, quod Philippo potuit Alexander, iam tum in ephebo Magnus: cùm quereretur, *Tot patris victorijs nihil ſibi reliquum fieri, in quo ſuam ipſe virtutem experiretur.* Secundum hos intueris è vicino, Aui tui GVILIELMI, intueris auunculi MAXIMILIANI

(quid niſi Maximorum Principũ?) cognata exempla: quibus ſingulis ſingulæ poſſent ætates gloriari.

In hoc virtutum heroicarum theatro, vbi tales agere ROSCIOS quotidie vides; non potes tu *Magna indoles*, quin agere eadem, feliciſſimè aſſueſcas; eoſque imitando, facias multa iam PVER, viris Principibus imitanda. Seruet hanc nobis INDOLEM virtus: & noſtra TE Societas (cuius capaciſſimum Ingenium litteris nunc imbuit) mox ſentiat, in ſe fouendâ & tuendâ, veſtigijs Sereniſſimorum parentum inſiſtere. E Collegio Societatis IESV Dilingæ v. Kalend. Ianuarias, die SS. Innocentibus feſto: M. IↃC. XXI.

LECTO-

LECTORI BENE-VOLO BENE.

Vod nuper Epigrammatis meis & futurum eſſe præſenſi,& factum deinde vidi; vt, quæ viri prudentes & magni beneuolè accepiſſent,eadem Pſylli,& puſilli, neſcio qui,nec latini ſermonis, nec artis poëticæ gnari, liberè criminarentur; laudaturi, ſi ſui ſimilia reperiſſent: id vtroſq; in hoc etiam poëmate facturos exſpecto. Atq; alteros quidem,vt ne aliud velint, obteſtor: alteros autem, in incepto pergant,nec ne. (ingenuè dicam) non moror. Abſolui ſe carmen putat, quod à talibus condemnatur; damnandum profectò,ſi illis placeret. Cùm præſertim pueros audiam quoſdam heri natos, & adhuc à matre rubentes, *ipſum velle Maronem, (ingenium tot ſæculis & ingenijs laudatum) in ordinem redigere, & inter poëtarum lixas iam recenſere; quòd planius ſcripſerit, quàm*

putent oportuiſſe: quodq́ cum Pacuuijs antiquè & horridè, cum Papinijs tumidè, cum Perſijs obſcurè loqui refugerit. Digni cenſurâ ſuâ ridiculi cenſores. Quibus ſi carmen hoc parum videbitur grande, ſciant de Infantibus, *non* Gigantibus *ſcriptum eſſe. Porrò prioribus illis, rationem inſtituti mei breuiter edam.*

Anni ſunt haud minus viginti, cùm adoleſcens inter alia poëmata hoc de Infantibus Herodianis *compoſui: argumentum pluribus poëtis libatum prius, aut ſtrictim ex itinere contactum; à nullis, quos viderim, vberius & ex inſtituto perſcriptum. Sumſi primus ſcribere: & ad conandum aliquid, trahebar affectu. Ad vbi legêre poſtea quidam aut audiêre, excitati ſuauiſſimo lemmate, eoſdem* Infantes *ſuis ſibi epigrammatis exornandos meritò putârunt: quos opinor, alij alijq́ excipient; dum ſeſe in Cælites hos prætextatos totus olim Helicon effundet.*

Tres operis conſtitui partes; Harum prima cædes commemorantur: vera qui-

dem

dem illa, ac fœda: etſi non eo fortaſſis modo, quo reipsâ ſunt perpetratæ; certè autem quo patrari potuerunt. Et fas fuit poëtæ, vbi hiſtoria tacuit, veri ſimilia diuinare. Neq; enim, quos in Aeneide legimus cecidiſſe, ferrum ea parte omnes receperunt, qua carmini viſum fuit. In nominibus decórum fuerat, ſi gentilia deligerentur. Sed ea fuêre Hebræa, ſanè magnam partem aut aſpera, aut ad numeri leges contumacia; vt pleraq; me à Græcis Latinisúe (quibus Iudæi iam per id tempus aſſueuerant) oportuerit accire. Quod ne idem in Græcorum fabulis auderem (quarum feraciſſima poëſis eſt) obſtitit gentis Religio: vt ſatius mihi fuerit, aliquam nitoris poëtici (qui plurimus inde ſe offerebat) iacturam facere, quàm ab hoc decóro iudicio; diſcedere. Placuit tamen quaſdam Imagines, ſeu penicillo, ſeu acu pictas poëmati permittere: quod ab iis auctoribus numquam ego ſteteram, qui Iudæis omni Imaginum vſu fuiſſe interdictum cenſuêre: cùm iam olim in eo-

rum partes diſceſſerim, quibus viſum eſt, non æquè omnes Imagines, lege aut more vllo, Iudæis negatas fuiſſe. Et ſanè expediebat poëſi hanc opinionem alteri anteferre.

Altero volumine, cæſorum pridie Infantũ exſequiæ narrantur. Additi ludi, quos Herodes, velut periculo defunctus, militũ ductoribus in Circo dedit Sed adortæ illũ denuò curæ, filium ei, nondum trimulum, in ſuſpicionem adduxêre: quem idcirco, (ſi Macrobio fides) ceterorum neci impius parens auctarium adiecit.

Poſtremus labor, variè diuiſus; iam cæſi agminis manes, ad Elyſium pratum conſequitur: vbi longam proauorum ſeriem complexi; deniq; à vate diuinitus edocentur, quibus olim pœnis reſeruetur Tyrannus; ſimul aliorum fœda quædam ſupplicia monſtrantur: Iam profugum ad Aegyptios Ioſephum; ibiq; cum Puero & virgine coniuge exulantem, comitatur: Iam deniq; in Herodis ægritudine, & poſtremo eiusfurore, funereq; explicando immoratur. Cognoſce ingenue lector, & ſi quà

quà erraſſe ingenium videris, homini confitenti ignoſce: ſi quid probaueris, boni auctorem Deum agnoſce. Vale.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

EGO CHRISTOPHORVS GRENZING Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi ab admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, factâ, tres libellos Herodiados, quos poëmate latino compoſuit IACOBVS BIDERMANVS, quosque noſtræ Societatis aliquot Sacerdotes cenſuerunt & approbârunt, typis edi permitto. Idque manu, & conſueto Societatis inſigni confirmo. Dilingæ XVII. Octobr. M I Ↄ C XXI.

Chriſtophorus Grenzing.

B. IOSEPHO
MAGNÆ VIRGINIS
CASTISSIMO SPONSO
INNOCENTISSIMI INFANTIS
ET
MAGNI EXVLIS
FIDISSIMO
COMITI
NVTRITIO
TVTORI
HOC PRIMVM
DE INNOCENTIBVS
VOLVMEN
SACRVM DICATVM
ESTO.

HERODIA-
DOS
LIBER PRIMVS.

INfandas acies, Iræque pudenda profana
Bella, Palæſtinos vetito populata nepotes
Agmine: Et vndantes lacteni ſanguine Cunas,
Maternisq; ſinus ululata Biennia, cantu (Eſt
Promere Muſa iubet. Quamquã illætabile planTẽpus eget, mutasq; premit ſine pectine chordas:
Turbida cùm bimo rorantes ſanguine ploret
Mater adhuc Bullas; & hiantes vulnere ſonti
Inſontes iugulos, & adactum in viſcera ferrum
Tractet adhuc; imberq; rubrum inter lacteum imbrem
Cognato de fonte ruat: cælumq; ſolumq;
Nondum depoſito mutârint gaudia luctu:
Sed ne iuſſa chelyn moderari, plectra morentur,
(Mæonia quamuis Teſtudine digna vacaret
Materies, Tragico non aſpernanda cothurno,)
Incipiam. Rerum tu bimula turba tuarum
Ipſa mihi ſeriem; &, quem quisq; peremerit hoſtis,
Et, quo quemq; modo. (nec enim es rerum inſcia) pande.

1. Iam

2. *Iam monitos nemoroſa fugā per deuia* Reges
Moliri, aligeri ſpecies inopina Miniſtri
Iuſſerat, & Solymæ *procul exitare potentis*
Degeneres faſtus, Aulaq; infida ſuperbæ
Hoſpitia. Illi alacres (poſt quàm donata profuſo
Expromsêre ſinu Nabathææ *pondera gazæ;*
Et glebas, Pactole, *tuas poſuêre beatos*
Ante pedes) Cunis *atra de nocte relictis,*
Per *monſtrata Via properant diuortia, iuſſi*
Ad patrios remeare lares, cautiq; Sabæos
Hoſtibus eluſis impunè reuiſere fines.
3. *Quos Vbi palmifera fugiſſe Tyrannus* Idumes
Reſcÿt, & ſtructos occulto tramite ſenſit
Declinaſſe dolos: nec ſigna cupita repertæ
Vlla dediſſe caſæ; ſub quâ Vagire Cometes
Sceptrigerum infantem præſago oſtenderit ortu:
Exſiluit, frontemq; manu ſtomachante cecîdit
Efferus, & diris Erebi *portenta laceſſens*
Exprobrat ignaua damnoſa ſilentia Famæ.
Nam patefacta fuga citiùs ſi cœpta fuiſſent,
Ipſe Vias ſepire metu; & quacumq; globato
Milite, tentatos poterat prauertere curſus.
4. *Nunc ſeris quid rebus agat? Fugientibus inſtet*
Ponè minax Vltor? formidatámne cruentus
Progeniem Cunis ſcrutetur in omnibus, interq;
Inſcia adoratum necet incunabula regem?
Illud, an Hoc, *crudelis agat? Demum inter Vtrumq;,*
Hoc placuit. Fuſo reſpergere ſanguine faſces

Iam multi potuêre meos: quos arctior inter
Nexus erat. Feci iam, barbara Phaſidos *Vnda*
(Natorum in iugulos dum me Vidit ire meorum,)
Matre magis durũ Vt miretur Colchide *patrẽ.*
Hos igitur Viles cultuq; in paupere natos
Quis nouus Herodi *metus eſt occidere Vernas?*
Non oculi ſpectare timent, nec ſueta recuſat
Lingua iubere nefas. Audet furor omnia. Dixit,
Admotaq; manu capulo, Vocat horrida Martis
Agmina: & immani iubet ire furore per omnes
Bethlemidũm fines: ferroq; recondita matrum
Pignora rimari, & partus iugulare recentes,
Natali quoscumq; ſinu conſidere, quosq;
Vberibus pendere, & adhuc rorantia lacte
Ora madere iuuet. Per ſceptra Verenda, ſuumq;
Per caput, & tactum capitis diadema, minatur
Omnia ſe ferro Verſurum igniq;: rebellem
Si qua dolo genitrix fallens ſubducat alumnum.
5. *Talia finierat: Cùm militis omne furentis*
Vndiq; Tænarijs *inuaditur anguibus agmen.*
Numquam tot meminit Lethæa Vorago ceraſtas
Tiſiphones *erraſſe ſinu. Stetit Aula Tyranni*
Vipereis confuſa iubis: gentemq; peroſa
Ipſa Megæra *ſuam, ſpecie terrente refugit.*
Sic Vbi Centimanus Briarêus *procera tetendit*
Brachia, quot palma, totidem ore ſtetêre triſulco
Serpentes, inſomne genus: digitosq; per ipſos
Exerſêre feri, Briarêia *turba, colubri:*

Adſpe-

Adſpectu tot monſtra Dies *miratus in vno,*
Mutauit ſubeunte ſuum pallore colorem.
6. *Haud ſecus in furias, conſpectâ* Gorgone, *verſi*
Corripiunt ſua ſigna Duces; inq; arma cohortes,
Et coniuratas adigunt ad Claſsica turmas.
Cuiq; ſuus dat tela furor. Iamq́; agmine rapto
In ſceleris documēta ruunt. Quacumq; ferãtur,
Carceris Aeolij *vis indignata remugit;*
Et Naturai nutant Elementa; proculq;
Vel rigui ſaltus, vel amæni vallibus amnes
Triſte gemunt; gemit vſq; cauis è rupibus Echo;
Vſq; queruntur aues; & in atrum deſuper agmē
Obuia Phœbeus *conuitia deſpuit ales.*
Oppida quin etiam cladem vicina ſupremam
Extimuère diu; ſed formidata cauebat
Nemo mala. Abrumpunt mediâ de nocte ſoporem
Sollicitæ matres: & inani murmure manes
Manibus occurſant: cæcis vlulatus ab vmbris
Conſpecto ſine teſte venit: cantuq́; pauendo
Vndiq; feralis vlulat atra per atria Bubo.
7. *Indicium memorant venientis lugubre belli*
Ante alios ſenſiſſe Fabrum; *qui Coniuge felix*
Virgine, Ieſſeos *antiquo ſtemmate reges*
Cognatos numerabat auos: tunc credita partûs
Virginei fidus ſeruabat pignora cuſtos.
Huic ætate graui, vix prima papauera ſomnus
Sparſerat, offuſâ placidæ caligine noctis:
Cùm ſpecies, humeros oculoſq; decora, iacenti
Adſti-

Adſpicit, & gemitu prior eluctante, Quietus
Ergo iaces? blandaq́ꝫ, ſenex, ait, vteris vmbrâ,
Omnia tuta ratus, Ioſippe? nec iſta moraris
Quas Puero clades, quas Matri bella minentur?
Adſpice, quæ coëant gentes! ad funera quanti
Armentur cumulanda greges! Cras agmine toto
Ad peritura ruet iratus mœnia prædo;
Iamq́ꝫ ruit; mora nulla datur: fuge, & vtere nocte,
Tuq́ꝫ, Puerq́ue tuus: Pharij pete regna Canopi.
Quà per tela potes: ſeptemplicis oſtia Nili
Portus erunt, ſtatioq́ꝫ tuis fidiſſima rebus:
Ipſe ſubibo comes. Simul hæc, ſimul omnia circùm
Intremuêre metu. Tenues abit omnis in auras
Alitis hinc ſpecies, ſenis illinc ſomnia fabri.
8. Pòſt quàm animum redijt, ſubducere membra grabato
Accelerat ſenior; viſuq́ꝫ obit aſtra ſagaci
Omnia. Monſtrum ingens! Cœlum adſpicit omne
Ac ferrugineâ latè inſordeſcere pallâ. (rubenti,
Stellis horror ineſt; & atroci contrahit arcu
Luna ſuam ſine luce facem: vacuiq́ꝫ per auras
Cum galeis enſes, clypeiq́ꝫ viriq́ꝫ rotantur;
Auditurq́ꝫ tubæ fractus per nubila clangor.
Inde Lycaoniæ veſtigia lenta Bootes
Miratur properare feræ, dum præpete motu
Parrhaſis à monſtris fugit coëuntibus Arctos.
Palluit ipſe etiã, Geminos qui proximus vrget,
Vaſtâ mole gigas: ac pæne cadente machærâ

Nec datum

Nudatum ſtupuiſſe latus ſibi ſenſit Orion:
Atq; adeò ſtellis niſi brachia fixa rigerent,
Ille humeris iam viſus erat labentibus ambas
Ad gladium conferre manus. Quemq; ante timebant,
Tunc primum, nutante polo, ſibi cetera ſecum
Aſtra Cleonæum *vidère timere* Leonem:
9. *Territus oſtentis ſenior cæleſtibus, inſtat*
Exilij comitem, tenerâ cum prole, parentem
Tollere. Sic cunas poſiti complexus alumni
(Nox licet atra viam ſpiſsâ caligine condat,)
Monſtratum feſtinat iter: dum deniq; longâ
Emenſus loca vaſta fugâ, felicia tranſit
Iugera fœcunda, non cognitus exul, Idumæ,
Mox Aſiæ *fines* Libyæque *egreſſus,* Oliuam
Attigit; excelſis inſignem mœnibus olim,
Tunc facie ſquallente locum, veteriſq; ruinæ
Indicium; Muris vrbiſq; ſuperſtite villâ.
10. *Hic paucos dum* Virgo *dies cum* Prole *moratur*
Feſſa fugæ ſtudio; neq; porro poſſe timeri
Vlla Palæſtinis *diſcrimina credit ab armis;*
Bethlemiâ venit ecce domo, comitante Lyciſcâ,
Tityrus; *ille gregis moderator* Tityrus *albi,*
Lanigeras qui nuper oues, ad læta Iacobi
Paſcua, cum ſocijs noctu tribus vnus agebat;
Quando per aërium modulatis vocibus orbem
Ambroſium aligeri cecinerunt carmen ephebi.
Ille ubi Ioſippum *(foribus qui forte ſub ipſis*

Arda

Arida ligna foco, in tenuem cumulabat aceruũ)
Eminus adſpexit, lacrimis feſtinus obortis,
Tene video, dilecte ſenex? an conſcia formæ
Fallit imago tua? video, agnoſcoq́ꝫ. Sed iſtas
Quis bonus error, ait, profugũ me duxit ad oras,
Finibus extorrem patrijs, opis omnis egentem,
Terrarumq́ꝫ rudẽ? Simul ibat in oſcula praceps,
Hærebatq́ꝫ premens, fletuq́ꝫ ſenile rigabat
Non ceſſante caput. Ioſippus vt oſcula fixit
Mutua, & illacrimans æquatum miſcuit imbrẽ,
11. *Tityre (nam ſtabuli cùm nuper ad antra ferebas*
Omnibus eximium Puero *è lactentibus Agnũ,*
Tale, reor, tibi nomen erat) ni pauperis, inquit,
Relliquias, coctæq́ꝫ fugis plebeia farinæ
Fragmina (in exilio nec enim niſi talia reſtant)
Gratus ades, cõmune, penu de paupere quidquid
Reſtat, erit. Iamq́ꝫ ipſa dies ad Iberica *vergit*
Litora, & inſtantes veniũt à montibus vmbræ,
Iunge larem, noctemq́ꝫ mane. Sic fatus, herilis
Duxit ad Infantis tacitè Cunabula. At illum
Occubuiſſe ratus patriæ inter funera nuper
Tityrus: *vt cædi ſupereſſe & viuere vidit,*
Accidit ante pedes, lacrimiſq́ꝫ recentibus omnem
Lauit humum, &, Tandem iuuat huc veniſſe, meaq́ꝫ
Magne Puer, *fugiſſe domo, atq́ꝫ ambage moleſtâ*
Ignotas calcaſſe vias. Tu chara Tonantis
Progenies, iterùmne meis concederis vlnis?
Atq́ꝫ iterum his oculis, atq́ꝫ hoc iterum ore beatas

Delibabo manus? pedibuſq́; dabo oſcula tantis?
Iam facilis iactura mihi; pãtriaq́; domûsq́;
Omnis erit: rerum neq́; dequerar vlla mearum
Damna: ſibi rapiat modici quaecunq́; Tyrannus
Ruris & vrbis opes: vno hic infante reperto,
Pauper in exilio maiores repperit Exul.
Dixit, & admotis pedis ad veſtigia labris
Plurimus incubuit; donec ridente labello
Annuit ipſe Puer; *ſeniorq́; aſſurgere pronum*
Panè coëgit humo, iuxtaq́; recumbere iuſſit.

12. *Hic vario dum fortè moram ſermone trahebant,*

Ni pigitum, (Ioſippus *ait*) *memorare, quis error*
Egerit extorrem: an patriæ fortuna ruina?
An propriæ ſpectata domûs iniuria? dudum
Geſtio. Nã paruas nec habet tua lacrima cauſſas,
Et mandata mihi Pueri *fuga, neſcio cuius*
Eſt præſaga mali. Miſerum me! Tityrus *infit,*
Quid Ioſippe *iubes? Mala ſi qua nouiſsima credis*
Argolica *toleraſſe aliquando* Pergama *bello,*
Omnia viſa mihi. Miſer his Herodia *vidi*
Agmina; ego his oculis vidi arma nefanda viroſq́;;
Infantumq́; neces, & fuſa cadauera matrum.
Ipſe dedi (quid longa moror?) non vltima cladi
Funera. Nam geminos ad mœnia prima nepotes
Panè pares, vnaq́; nurum, prohibere parantem,
Comminus adſpexi miſerando occumbere letho.
Lethi informe genus! Sine me Ioſippe (quid urges?)
Hunc ſine me, ſi forte queam, ſolare dolorem.

Hæret adhuc, oculiſq́; tenax occurrit imago,
Quà puerum arripuit, læuoq́; à crure Lycornus
(Impius Herodis dirâ è legione Lycornus)
Hærentem, ac paſſis manibus per inane vagantẽ,
Diſſecuit medium ſæuus: partemq́; ſiniſtrâ
Extulit oſtentans, partem manante reliquit
Fœdatam ſquallere ſolo. Mox alterum adactâ
(Me miſerũ!) eliſit gemina inter tempora clauâ:
Oſſaq́; diſperſit tepido rorantia tabo.
Infelix ſpectator ego, ſed viribus impar, (carem
Quid niſi lamentis ſuperũmq́; hominumq́; vo-
Non auditus opem? Quid multis deniq́;? feſſæ
Vt reſpirarunt morientum à vocibus aures,
Quas gnati materq́; dabant, promiſcua turba.
Tum nihil Herodi poſt id ratus eſſe relictum
Quod fureret; ſparſas puerorum mæſtus humatò
Relliquias, luctuq́; domi ægreſcente remanſi.
13. Interea, vix quarta diẽ ſubduxerat vmbras
Reſciit Herodes, pueri ad Cunabula magni
Paſtorum veniſſe gregem; modicumq́; coloſtri,
Et lactis de flore parum, lectamq́; tuliſſe,
(Vos meminiſtis adhuc) natalia dona, bidentem.
Omnibus hoc immane nefas, & morte piandum
Continuò. Lycidas mecum damnantur, & Ae-
gon, (leſ.
Et Corydon; ſociis Corydon prior omnibus. Il-
Tunc ego quis caſus tulerit; quis ab hoſte pro-
pinquo
Aut locus, aut error ſeruârit, neſcio. Cædi

Mémes

Memet ego eripui celeri per deuia curſu;
Quinq; adeò noctes (nec enim confidere luci
Auſus) iter vario ſiluarum errore peregi,
Donec ad has, Ioſippe, DEVS DEVS *appulit oras.*
Finierat lacrimans. At buxi pallidus inſtar
Iam dudum Ioſippus *auet cognoſcere totam*
Excidij ſeriem: deploratamq; Iuuentæ
Bethlemiæ ſtragem longo iubet ordine fari.
Tityrus, *immenſum quãquam eſt opus, ordiar,*
inquit. *(ibat*
14. *Iam* Solymis *acies inſtructa à mœnibus*
Enſe minisq; ferox; cùm proximus ingruit hor-
Armorũ; & latè circùm inclareſcere vaſto (ror
Cornua cum ſonitu, Iuuenumq; arata videri
Agmina per campos, & ahenam ſpargere lucem
Fama tulit. Fracti rerum formidine, primas
Molimur portas, adituq; excludimus hoſtem
Nequicquam, miſeri. Non valla furentibus ob-
ſtant
Non validæ turres: ſed adacto vecte reuulſos
Ocius euellit ferrato è cardine poſtes,
Atq; intrò violenta ruit Bellona; *flagello*
Obiurgans aciem, ſtimulosq; volantibus addens.
Hinc mihi, quæ facies vrbi, quæ prima cadentũ
Audierit lamenta domus; quis tela cruore
Paruulus Aſtyanax lactenti prima notârit;
Quæq; ſuis Libitina *nurus orbârit alumnis,*
Et quantus ſexu certatim ab vtroq; volârit
Tecta per, & plateas, per & oppida, & æthera cla-
mor; *Quis*

uis memoret? Non ora mihi ſi mille diſerto
loquij torrente fluant, ſperem omnia poſſe
lius abſolui fanda atq; infanda diei
15 *Primus ibi (memini) nõ vano numine* vates
Ahtuos, & ſcuta virûm, & ſubeuntia vidit
igna; iterũ atq; iterum voce ingeminauit inani,
domus, ô veterum magna incunabula regum
npete Noſtra *ruunt vno decora omnia. Ciues,*
Arma cito, arma viri: date tela, capeßite ferrũ:
nminet exitium iugulis lactentibus. Illos
Arma petunt, illos: facunda obſiſtite matres,
n veſtros intenta ſinus hac tela feruntur.
Audijt, iſta palàm vatem exclamare Macháon,
Agmine in infauſto qui iuxtà proximus ibat,)
Et raptam impatiens clamantis in ora ſariſſam
Vatis agit: vultuq; ferox, malè falleris, inquit,
O canis infame caput; Lactentibus arma
Dum ſolus inimica times. Capularibus aq...
Et Priamis *fureſta ſcias: age, primus ephebos*
Ante ſenex occumbe tuos. Nec diſtulit vltra
Ora per, & fauces, agilis penetrabile telum
Intorquere manu. Portis cadit ille ſub ipſis:
Quodq; vnum potuit, lapſi conatur euntem
Corporis obiectu moriens excludere Martem.
16 *Hæc vbi prima dedit ſceleris documenta* Macháon,
Continuò (veluti cùm claßica iußit Enyo
Signa dari,) turmas iuuenum clamorq; furorq;
Præcipitant. Omnes inimico turbine verſi,

Pars

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pars laxare Seras, foribusq́ illidere clauſis
Annoſa properant fragmenta trabalia quercûs:
Pars obſeſſa premunt armis anguſta viarum;
Aut in tecta ruunt violenti; & quaq́, lupi ceu
Exſtimulante fame, rapiūtq́, feruntq́, trahūtq́
Matresq́ gnatosq́ patresq́: nec vlla morantur
Brachia nutricum; non ora madentia fletu,
Non ſparſa ſine lege coma; non liuida planctu
Pectora, & effuſa ſpreta inter tela ſorores.
Sape etiam (lacrimis quis pumice durior omni
Temperet?) intentos capiti cum paruulus enſes
Cerneret, atq́ rudes efferret ad obuia palmas
Vulnera, & ipſum hoſtem iam multâ cade ru-
Ore renidenti, geſtuq́ iocante vocaret: (*bentem*
Non animos geſtu potuit, non flectere blando
Tela puer riſu: ſed atroci cuſpide pergit
In iugulos ſauire latro, Cunasq́ cruentans,
Triſtia cum medio confundit funera riſu.

17 *Non ſecus, ac ventis quoties biematibus im-*
Nigranti de nube ruit: torrentibus vndis (*ber*
Vix validi montes, vix ſaxa Ceraunia *reſtant,*
Arborea ſternuntur opes, pinusq́ pyrusq́,
Et patula quercus, & vatum gloria laurus:
Pracipitesq́ cadunt inhonoro funere cedri:
Nec ſua planities Corylos, nec litora Myrtos
Eximias à ſtrage vident: naſcentia frondes
Submittunt arbuſta ſuas: fractisq́ myrica
Stirpibus exſpirant: Dryades *flevêre, ſuasq́*
Eruta delectant nuſquam virgulta Napæas.

18 Fortè

18. *Fortè ſuas pulses, & amati gaudia lactis*
Liquerat Hippolytus; *pupaſq; ex more trahe-*
lam ſatur, ad ſoliti dilecta crepundia ludi. (bat,
Magnus ei bullaſq; inter puposq; togatos (mđq;
Signorum numerus. Vario omnia nomine for-
Et facie. Huic aureô rutilam de ſtamine veſtem,
Huic candente ſtolam de ſindone mater; at illis
Purpureum ſubtemen acu ludente pararat.
Indidit ipſe ducum Regumq; ingentia cuiq;
Nomina. Pars armis teliſq; coruſca; quadrigis
Pars effulta ſedet, famulaq; in plebe triumphat:
Pars ex ſultat equis. Has dū vario ordine ductat
Hippolytus *turmas, mutatq; rotatq; ſatelles*
Alter & alter adeſt, pedibuſq; crepundia calcat
Barbarus; ac pictos regumq; ducumq; iugales
Præcipitat. Nihil Hippolyto *funeſtius illâ*
Clade fuit. Queſtu vocat indignante parentem
Ergo puer, monſtrátq; rei miſerabile parua
Excidium: immenſam veluti calcaret opum vim
Perſidis, *aut omnes* Erythræo è *littore gemmas*
Barbarus obtereret plantis properantibus hoſpes.
Interea in primo ignarus clamore feritur
Ipſe caput; rubroq; genas humore colorat
Ilicet exundans hiſcenti è vulnere riuus.
At nihil accepto queritur de vulnere; totus
Hoc agit, vt rerum turbatus clade ſuarum
Calcatos deploret equos; & ludicra pompa
Reddi ſigna ſua, voto ſibi poſcat inani.
Donec humi ſuper ipſe datus magno impete præ-
ceps,

 Vna

Vna etiam pedibus calcatur: ibi ora volutans,
Dum moriente manu direpta crepundia quærit,
Conatu in medio pupamq; animamq; reliquit.
19. *Contiguos* Suſanna *lares noua nupta colebat,*
Diuite nata domo, & non impare læta marito.
Hæc nitidum partu ediderat Solomona *recenti,*
Optanti Solomona *viro. Stupuêre parentes,*
Vicinæq; nurus cæleſtibus æmula formis
Ora, duasq; faces Indis adamantibus æquas:
Sic Suſanna *ſibi, ſic viſa beata propinquis,*
(Heu nimis infelix, venturiq; inſcia!) nixu
Vt nuper defuncta graui, requieſcere cœpit
Puniceo ſecura toro: videt inter opacas
Schemate funeſto ſubrepere Morphea *noctes,*
Et ſomnos vexare iocis (conſuêrat eburnas
Quippe cubans lateri genitrix apponere Cunas.)
Horribilem viſu ſpeciem! ludentibus vmbris,
Adſtantem, poſitis propter Cunabula nati,
Credit equum (frenoq; feri ſpumantia miles
Ora domabat equi) librare volumina crurum
Altius, ac geminos oculis illidere calces,
Et morſu vexare latus, rigidisq; cubante
E puero luctantem animam exturbare lupatis.
Territa mater, Equum, procul à Solomone ferocem
Pellite, *clamat,* equum: Sonipes mea pignora calcat.
Vix ea, cum tenues clamore fugatus in auras
Et ſonipes & ſomnus iit. Tamen anxia gnatum
Poſ-

Poſcit & eliſos an foderit vngula vultus,
Et ſanie fuſoq; natent præcordia tabo,
Explorat, dubitansq; diu, nunc ora genasq;
Luminaq;, agnatasq; manus. nūc cetera verſat:
Credere vix oculis demum auſa fidelibus, illa
Prolem ſuam incolumem verè ſibi viuere prolem:
Atq; vtinam fallax ludibria concinnaſſet
Sola ſopor: diro euigilaſſet ab omine mater
Impunè, & felix mendaci ignoſceret vmbræ;
Tuq; hodie Solomon, *ſoboles dilecta, parentem,*
Tuq; tuum Solomona *ſinu,* Suſanna, *teneres.*
Nunc manifeſta nimis, nimis, eheu, feria *noctis*
Omina! Nam denſus ſub prima crepuſcula mi- (les
Adfuit, & noctis ludos Bellona diurnis
Cladibus abſoluit. Ruit vna Hornuſque Paduſ-
que (mon.
Cum Tritone Merops, *ſocio cum* Neſtore Cne-
Hornus *eques,* Marti *ſacra cetera turba pedeſtri*
Vnum omnes Solomona *petunt: prior occupat*
Hornus
Ignarum; & gladio puerum renuente trucidat,
Impingitq; pedum immeritis calcaria cunis.
Illum effundit humi. Mox quadrupedate caballi
Exanimem inſultans ferratæ calce fatigat.
At parte ex alia, maternis pendulus vlnis
Geſtabatur Halys; *ſpes tota parentis, & vna*
Cura parentis Halys: Pario *cui marmore forma*
Candidior, malisq; notatæ rubentibus ora
Suppeter erant. Tyrio *chlamys illi è vellere ſem-*
per;

Aurea ſed Tyriam mordebat fibula veſtem;
Aureus è collo Mçander; & *aurea circùm*
Cingula. Nulli olim ſpecies aut gloria maior
Omnibus è pueris. Hic nondùm certa profari
Doctus, ab inuito trudebat verba palato.
Vtque ſemel matrem *mutilo clamore ſonare*
Garrulus incepit; iam ſe ratus eſſe diſertum,
Matrem *iterum* & matrem, *lingua titubante*
vocare
Perſtitit, audiriq́; & magnus amauit haberi.
Nec reſponſa diu cunctata remittere mater
Semper Halyn *repetebat;* Halyn: *quoq́; altius illa,*
Altius ille vocat, veluti cum vere tepenti
Doctura implumem materno carmine pullum,
Ipſa quidem nido paullùm philomela *relicto*
Conſidet arboreas alibi inter ſedula frondes,
Et procul inuolucris naſcentia murmura prolis
Temperat, inq́; vicem ſequiturq́; praitq́; canens
Et modulo formare pari docet ora. Laborat (*tem,*
Pullus adhuc impar, matriq́; ſine arte recantat.
Mutua ſed cantu alterno dum gaudia captant,
Arbiter intentis dudum adſtitit auribus auceps
Moliturq́; gradus, & lentis paſſibus ipſam
Arboris adrepit non obſeruatus ad vmbram,
Incautumq́; rapit medio è certamine pullum.
I. Haud aliter, dum clamat Halys *materq́;*
reclamat, (*vrbis,*
Nondum gnara mali, ſed adhuc capta immemor
Accipit ante fores bleſa certamina lingua

Inſidiis

Inſidiis Tarchon, (*qui iam ſub limine primus*
Conſtiterat) *certaq; tenens veſtigia prædæ,*
Impete præcipiti dirupta per oſtia, torti
Fulminis inſtar, abit: puerumq; vt vidit amictu
Purpureo fulgentem, atq; auri luce decorum,
Reſtitit attonitus, meditataq; penè pepercit
Stringere tela manu: potuit belliſſimus infans
(Tantus erat formæ decor) exarmare ruentes
In ſua colla manus, ferriq; hebetare furentes
Ore hiſcente minas. Properauit & ipſa profuſo
Ilicet argento pro prole Themilla *paciſci,*
Prodiga cùm dandas temere promiſit Eoæ
Gentis opes, fuluamq; vehentia flumina glebam.
(Materni quid enim donare morentur amores,
Vt ſoboli parcatur?) Erat neq; cæcus ad auri
Illecebras Tarchon: *Tamen vt recruduit iræ*
Prima ſitis, nihil ille preces, nihil ille moratus
Promiſſas crudelis opes, ferro imperat, ipſe
Ferreus: & pulchrum inuitis violentus ab vlnis
Vellit Halyn. *Conatur* Halys *fugientia plorans*
Brachia cognato nequicquam innectere collo,
Brachia, ſed cœpto fruſtrantur inania; quando
Porrectæ nequeunt vinclo coaleſcere palmæ:
Quippe prius ferri ſupra grauis incubuit vis,
Atq; humero auulſit duplices ab vtroq; lacertos
Fulminis in morem. Cadit ocius ipſe cadente
Semanimis cum matre puer; gremioq; retentus
Quo genitus, cupiit poſitâ cum matre mori.
Nec conceſſa tamen poſtremi eſt gratia voti;

Nā puer inde auulſus Halys *(pulcherrimus olim*
Iam ſanie deformis Halys*) calcatur. Amatam*
Ipſe tamen matrem poſtremo in funere, matrem
Quærit; & in matris voce ora nouiſſima condit.
22 *Mox vicina pari turbata cubilia motu*
Lamentis equêre nouis. Ibi poſtuma magni
Surgebat ſoboles genitoris, & inſcius hæres
In patrias creſcebat opes: Cui nomen auitum
Iuſſerat Antinoo *genitor, ſi viueret, indi:*
Maluit exſtincti tamen illi à nomine nomen
Indere Sara *patris, puerumq; vocare* Glyconē.
Nomen inane Glycon*, perituraq; gaudia! Norat*
Iam facili riſu venienti alludere matri
Ingenuus, prenſaq; vdis dare baſia labris:
Et voces formare rudes: greſſuq; labanti
Veſtigare ſolum, iamq; à nutrice teneri
Impatiens, rectore gradum tentabat abacto.
Talibus à ſtudiis cum deniq; feſſa labarent
Genua, ſoporiferos (quamquam Phaëthōtia *cælo*
Lampas adhuc medio Tarteſſia *littora nondum*
Attigerat) nutrix languentem portat alumnum
In thalamos. Negat ille quidem, pigramq; graba-
Deſidis elato damnat clamore quietem: (ti
Ceu præſenſa forent poſtremi fata ſoporis.
Vincitur imperio tamen, oplorans q; recumbit.
23 *Illi oploranti nutrix & vana querenti*
Aſſidet, ac dubio quatiens cunabula motu,
Vt placidâ ſenſim renuentem obſopiat vmbrâ,
Alternat faciles modulatâ voce ſuſurros.

Lemma

Lemma fuit: Qualis reduci Iephtheia *Patri*
Obuia prodierit, cùm nondum immania virgo
Pacta, nec ambigui iurata piacula belli
Noſceret infelix. Aequalibus illa puellis
Exierat comitata quidem; choreasq́ decoro
Vnanimes fecère gradu: ceu feſta vocarent
Gaudia. Iamq́ aliæ quatiebant tinnula doctâ
Siſtra manu; alterno reboantia tympana pulſu
Tendebant aliæ: certabant vocibus omnes,
Veſtituq́ omnes: ſed ab vnâ Iephthide *victa*
Vocibus & ſiſtris & rebus in omnibus omnes.
Clarior in reliquis Lunai lampas vt aſtris
Omnibus vna præit: tegitur Cynoſura *ſubinde*
que
Gnoſia *ſubmittunt* Cycneaque *ſidera lumen.*
Illa autem vt gemitus conſpectum ſenſit in altos
Erupiſſe patrem, lacrimasq́ repente cadentes
A redeunte; videns male ſe victricibus armis
Occurriſſe, genas expalluit ægra, manusq́
(Iam totum ſtrictura patrem) patre territa
ab ipſo
Rettulit, & greſſus amiſſà voce repreſſit.
Mox verò ac vires animúmque virago re-
ſumſit,
Votaq́ cognouit pacti iurata paterni;
Haud pertæſa necem, modicas à patre popoſcit
In ſiluis agitare moras: leſſoq́ bimeſtri
Deplorare cita ventura ſilentia mortis.

Conceſſit genitor. Mox iuncta Sodalibus illa
Virginibus, lucos nemorumq; vmbroſa pererrãs
Inſtitit Aonio *modulari carmina planctu,*
Carmina, Getuli *quæ colla iubata Leonis,*
Et nemoris ſiluas, & inhoſpita luſtra mouerent;
Non monêre patrem. Pacti memor ille ſeueri,
Perſtat adhuc animi certus: numerataq; petitos
Ad lamenta dies, atq; omnes imputat horas.
Altera cum demum coiiſſent cornua Lunæ,
Iephthida *ferales genitor reuocabat ad aras.*
Nec reuocata necem fugiebat virgo; ſed vltro,
Poſt quàm terna fero libauerat oſcula patri,
Supremumq; vale ſociæ moritura coronæ
Dixerat, alta oculis extremum ad ſidera verſis,
Candida librata ſubiecit colla ſecuri.
Talia prolixè ſopito fata Glyconi
Occentârat anus, de more; & plura parabat
Subdere nequicquam: cum rupta per oſtia Blennum
Hoplomachumque *videt gladiis accurrere nu-* (dus,
Sanguineq; adſperſis. Cantu illa repente relicto
In lacrimas effuſa fugit; roſeumq; Glycona
Immemor exponit crudelibus. Ipſe trahebat
Iam tenues rhonchos ignarus, & omnia circùm
Fida ratus. Telis hic ecce micantibus hoſtes (ter
In puerum ambo ruunt; pectus ferit alter, & al-
Per iugulum, atq; omnẽ per Cunas exigit enſem.
Ipſe graues oculos vanâ ſpe tollere nixus
Deficit; & claudens iterato lumina ſomno,

Excipit

Excipit illapſam per hiantia vulnera mortem.
25 *Quam ſimul vt cladem genitrix, intenta quaſillis*
Dum famulas penſo exercet Tharbita *diurno;*
Audiit, excuſſo ruit in penetralia fuſo
Per vacuos turbata lares; viſoq́ cruore
Et cunas per & vda natante cubilia, tollit
Horrida clamorem, quantum furiata Mimallō
Cùm ſtimulante ruit Trieterica *ad* Orgia Baccho.
Hîc laceras fodit vngue genas, hîc pectora pugno
Indignante petit: ſparſisq́ timenda capillis
Nunc procumbit humi, nunc incunabula prenſans
Relliquias animæ perfoſſo in corpore captat.
26 *Mox prolem* Fauſtina *ſuam, mox altera*
Senſit Hibiſca *ſuam. Vicinis vtraq́ tectis (quare*
Concordes coluêre fidem: communibus ambæ
Antè bonis lætæ, nunc triſtes triſtibus ambæ.
Illa prior, veniente fugam prædone parabat
In ſublime domûs; vbi pignora turribus altis
Abderet, à ferro ſcrutantum intacta latronum.
Obſedit mors ipſa viam. Nam ponè ſecutus
Miles, vt adſpexit ſublimem euadere, promit
E pharetrâ, & lauas laxato coniicit arcu
Noxia per coſtas hamata tela ſagitta.
Nec matrem ſatis eſt fixiſſe: ſed exiit vltra
In ſobolem, & lateri lethalis inhæſit arundo.
Occubuêre pares. Neq́ prodiga duplice telo
Mors eguit, poterat iaculum commune duobus

Sufficere, atq; vnâ ſimul ambo occumbere plagâ
27. *Hos ſaculo dum* Patcâ *ferit lūdente, Pro-*
Interea graſſata lares Bellona *tenebat, (pinquos*
Paruum vbi Hibiſca *manu miſere raptabat* He-
liſſum
Anxia, pòſtquàm omnem fœdari cædibus vrbē,
Vicinaq; domûs incendia viderat; amens, (ſtant
Quò fugimus, mea vita? inquit. ceruicibus in-
Ferrea tela tuis. Simul hæc, ſimul vngue recuruo
Ora ferit, vulſoſq; trahit miſeranda capillos,
Et lacrimis confuſa furit. Miratur Heliſſus
Quid ſubiti caſus, querulaq; inſana parentis
Tot lamenta velint? Illi tamen ipſe gementi
Aggemit; ignarus quæ ſit ſibi cauſſa gemendi.
Quid faceret deprenſa parens, ſpecus acta receſſu
Poſticos aderat ſubter ſecura penates,
Fornicibus ſuprà, ſolido circùm obdita topho,
Et munita feris. Cimelia ditia quondam,
Nunc deſerta ſpecus. Condi illuc mater Heliſſum
Cum nutrice iubet, ſi parcere fortè latebris
Atropos, *& nato queat exorata (ſorore*
Non renuente) colus vitale extendere filum.
Ac ne quà metuat tetra caliginis antrum
Cum nutrice puer; melimela & dulcia liba
Addit Hibiſca, *penumq; omnē* Saliaribus *implet*
Illecebris, malisq; pyrisq; & ſi qua nucete
Pruna in Idumæa, Syriaue *volema* Damaſco
Repperit, illa vni genitrix promittit Heliſſo
Parcat vti lacrymis, linguaq; ſilentia diſcat.

Heu

Heu, quãta humanas fruſtrantur inania mentes.
28 Vix ſubière locum; iamq́; ædibus acriter i-
Intenti, obiectos conuellunt cardine poſtes, (mis
Latronum glomerata manus, Sipyluſque Ly-
cuſque
Aſſyriusq́; Dymas, Tyriusq́; Choræbus, & A-
cron, (ira
Et Dromus & Nomius. Non tanta furentibus
Tigribus, à paſtu nemorum ſi quando reuerſa
Inueniunt catulis ſpelæa tepentia raptis;
Quanta Dromo ſociisq́; fuit. Rimantur opacas
Ingreſſi latebras. Alij ancillantia pugnis
Agmina circumſtant, alij materna minantur
Viſcera demerſis (proles niſi maſcula detur)
Scrutari gladiis. Audax negat illa, virile
Eſſe genus: famulasq́; omnes teſtatur, & omnes
(Tres aderant) vernas. Illi fari omnia docti,
Impediant ſcelere vt ſcelus, in mendacia iurant.
At Sipylus nondum ipſe fidem, nondum ipſe
Choræbus
Eſſe rati; Ferrum, ſimul, in præcordia, ferrum,
Ingeminant: ſummamq́; cutem ſimul ambo cru-
entant.
Hic (ſeu terror erat, ſeu vis inopina doloris)
Haud ſecus, ac telis traiecta exclamat Hi-
biſca
Altiùs. Auditam genitricis noſcit Heliſſus
Continuo vocem, penitúsq́; è ſedibus, (Echo
Hei nimis infelix) iniuſſa voce reclamat.

29 *Aduertêre ſonum* Nomiuſque Dymaſque Dromuſque,
Et canti indagant, quibus illa remugiat antri
E latebris Echo: *longaq́; indagine circùm*
Abdita rimantur: dum deuenêre cauernas
Ignari. (Nec enim indicio ſe prodidit antrum)
Hîc vagire puer repetito murmure cœpit,
Blandiriq́; leui nutrix audita ſuſurro,
Et querulis mera mulſa labris, mera mella propinans;
Non potuit captos vllâ arte recondere fletus.
Ergo auidi ad deprenſa ruunt hypogæa: dehiſcũt
Deniq́;, ter denos effracta per arietis ictus
Oſtia. confeſtim patuit miſerabile furtum,
Præda negata diu. Simul exclamare parentes,
Collacrimare puer; ſimul anxia turba, miniſtri
Currere, & elatas ad ſidera tendere palmas
Mæſta ſoror: Per ego hanc animam, per ego omnia veſtras
Oro, inhibete manus. Nihil eſt à fratre timendũ.
Quò ruitis? puer eſt. Pueri miſereſcite, ſi quis
Senſus adhuc. Toto locus iſto in corpore nullus,
Quem feriatis, erit: per id hæc ego ſidera teſtor.
Inuaſitq́; pedes, genibusq́; Camilla *duorum*
Implicuit validos, cædi obluctata, lacertos.
30 *Flexerat hac facie* Nomiumq́ue Camilla Dromumque,
(Nam lacrimis inerant violenta potentibus arma)
Et reſtabat ei Sipyluſque Lycuſq́ue Dymaſque

Ex-

Exorandus adhuc. Sed enim fruſtrata, querelis
Antè ſuis cautes, atq; acroceraunia *flectat* (gres-
Marmora, quàm tales humano in corpore Ti-
Ocius ecce Dymas infantem auellit ab vlnis;
Alliſurus humi; niſi collum ante occupet infans.
Carnificemq; manu rennentem vtraq; moretur:
Ceu libare paret crudelibus oſcula malis.
Impedijt ferrum graue pendula ſarcina, nuſquā
Extricare Dymas *vt collum à pondere poſſet;*
Vulnere nî Sipylus *poſtico figere pendens*
Maturaſſet onus; tenui qui terga verruto
Fodit, in auerſo dum pectore mucro quieuit.
Labitur exanimis, manibus non ſponte ſolutis,
Indq; pauimento querula ora ſupinat Heliſſus.
81 *Inde alios alij effuſi per compita cadunt,*
Vt ſors quemq; dedit. Manuelem *obtruncat* Hy-
lactor, (glon
Arſacium Pyrrhus, Narciſſum *barbarus* AE-
Te Menelae Colax, *&* *te* Meleagre Coniſcus,
Hunc manuum pugnis, illiſis calcibus illum.
Mox Salmona Milo, *mox* Cyrum Phorbus: A-
myntor (Telonem,
Timotheum, Babylam Ptolomæus: Himilco
Theronemque Gyas. Theronque Telonque
gemelli
Omnia tam pariles, nutrix vt ſæpe negârit
Eſſe duos, *vnus cum poſſet vterq; videri.*
Ipſa parens ignara diu, ſi quando videbat
Alterutrum horum, alter, dubitabat, an alter ad-
eſſet.

Huic tamen (heu ferri furias immitis) vtriq;
Ferreus vnanimem diſcluſit pugio vitam:
Vnus vtriq; dies natalis: & vnus vtriq;
Vltimus, vna oris ſpecies, formaq; venuſtas
Vna erat: & tumulus nunc demum eſt vnus v-
Ite pares animæ, concordibus ite choreis (triq;.
Elyſiæ per amœna plaga: neq; veſtra ſeorſim
Gaudia quiſq; ſuis diuiſi carpite votis,
Sed velut occaſu potuit ſors aſpera fratres
Vnanimi ſociare duos, ita lætior ambos
Vos videat ſociæ ſolatia iungere vitæ. (cenſu
32 *Excipit hos numeroſa cohors, quos diuite*
Natales aluère domus: Corduſque Thouſque
Et Lamus & Memnon; Mariæ *Lamus vnica;*
Memnon
Vnica Iudithæ *ſoboles. Et* Acanthus & Argus.
Ille Senatoris bullata propago: Toparchæ
Iſte nepos; multo toga cui prætexta *rubebat*
Murice: Mox proprio, puer ah miſerande (quid
Oſtri
Delectat ſanies aliena?) cruore rubebas.
Poſt Samus & Marnas, Calarisque Bathonque
Learchi
Progenies. Horum mihi cognita ſingula pridem
Nomina; quòd patrias ſolitabam creber ad ædes
Aut fata portare agnum de matre cadentem,
Aut agere errantes conſuetum in ouile bidentes.
Quid reliquos memorem? Incertum ſine nomi-
ne vulgus

Ple-

Plebeiaq; domus misera indefletaq; pubes
Sternitur, ac variis animas in mortibus efflat.
33 *His diffiſſa fluunt ab hianti vulnere cæſim*
Tempora, partitiq; natant in ſanguine vultus.
His punctim fodêre gulas mucronibus: illis
Deſuper incuſſâ caput eliſêre bipenni.
His capulo effuſum ſuprà incumbente cerebrum
Spargitur: Hic molles etiamnum ad ſpicula co-
ſtas
Obiicit, inq; vnum duplicatus labitur ictum.
Pars diſtracta manu; pars ſuffocata morantes
Exſpirant animas. Heu! quantum pota cruorem
Hauſit humus! quantum fluuialis ferbuit vnda?
Cùm detenta palàm lactentibus, vbera gnatis
Infeſta rapuêre manus; illosq; reducta
Cautibus; aut Pariis *miſerè alliſêre columnis;*
Aut patrio (reptare prius quo ſæpe ſolebant)
Afflixêre ſolo, aut altis egêre feneſtris
Præcipites; aut intentâ fodêre ſariſſâ.
At non ſola ſibi puerorum turba ſupremum
Illum habuêre diem: Pariter cum prole parêtes
Occubuêre ſuâ, dum pro ſe quiſq; rigentes
Conantur gladios, mortemq; auertere paſſis
Crinibus, aut ſpretis ruere in ſua vulnera pal-
mis!
Tam crudelis amor materno in pectore ſæuit.
34 *Sicut vbi nidos infeſta colubra tepentes*
Repperit altiuum, potuitq; afflare veneno
Aeriam (dum mater abeſt ad pabula) gentem
Inde-

Indefenſa cadunt pullorum corpora, nidiſq;
Implumes moriuntur aues: ſimul atq; reuerſa
Vipereò mater videt intabeſcere morſu *(dens*
Plumantes *animas, vita incubat immemor, ar-*
Ipſa mori, & ſeſe teneris impendere natis.
Mox igitur (mirum!) præcordia plumea roſtro
Ter properante ferit; fuſiq; liquore cruoris
Abluit exſtinctos. At tu (niſi fabula fallit)
Matribus, heu! longè noſtris felicior ales:
Quippe tui incolumes ex ipſo funere pulli *(gunt.*
Continuò, quamquam genitrice cadente, reſur-
At noſtra cum prole cadunt; proprioq; liceri
Funere, gnatorum nequaquam funera poſſunt.
35 *Iam mihi adhuc videor,* Ioſippe, *videre* Lycaſten,
Vt metuens fugiat, ferroq; ſequente, biennem
Phædimon *amplexu non dimiſſura recondat.*
Ac, licet hinc atq; hinc prædones enſe minentur,
Hinc tamen illa atq; hinc prædonum occurrit in enſes
Impauida; & ſoboli nullam ſupereſſe per horam
Teſtatur ſe velle ſua. Cui multa precanti
In latus haſta ſubit; nec caſâ in matre quieſcens,
Exiit in prolem, cognataq; funera iunxit. (tha.
36 *Altera mox bimo perijt cum* Neſtore Mar-
Altera item (quamuis illi iam trimulus ibat)
Cum Samuele *ſuo* Iuſtina; *recentibus aucta*
Diuitiis nuper, ſed non fruitura receptis.
Tu quoq; deliciæ Samſon *breue matris* Himella,

Mo

Matris in ore cadis. Nondum tu robur auiti
Sanguinis, ah nōdum Samſonia brachia nôras,
Qualibus ille Syros *olim terrere leones,*
Atq; Palæſtinas *mauortia corpora turmas*
Exiguo inuenta maxillæ fundere fruſto:
Aut vigilum ex oculis non conniuentibus, ambas
Alter Atlas *potuit portarum tollere valuas;*
Aut ſtabiles vtraq; manu quaſſare columnas,
Tectaq; in vltricem trahere indignata ruinam.
Nunc ſolum tibi nomen erat Samſonis, *& vno*
Militis imbellis Samſon *ſuperatus es ictu.* (des
37 *Has autem vt fieri prima inter mœnia cæ-*
Audijt extremo murorum abſtruſa receſſu
Cordula, Thobiæ *nurus vltima; quæſiit arctis*
Prouida rebus opem: Nec ſuffectura parandis
Defuit hora dolis, cùm necdum proxima circùm
Arderet bello vicinia. Paruulus illi
Aedibus in magnis iam tum ludebat Helorus,
Doctus arundineos ſtabulis nutrire caballos,
Et tenui mannos in gyrum flectere frenos:
Aut picto biiuges agitare in puluere currus.
Progeniem ſed vbi iugulari fama virilem
Retulit, immuneſq; exire à clade puellas,
Nil ſucceſſuros pro nato repperit aſtus
Ingenioſa parens: in Heloram *vertit* Helorum.
Omniaq; exemplo ludi puerilis ademit
Gaudia, abegit equos: &, ſtirpis ne qua virilis
Signa forent, pictas vſſit fornace quadrigas.
Inde puellari puerum circumdat amictu,

Com

Componitq; ſinus, & tracto ſyrmata limbo,
Ponè ſubire iubet. Neq; ſola in veſte laborat
Fallere; ſed plexis praeuelat tempora ſertis,
Gemmeaq; à Niueâ ceruice monilia nectit.
Et digitis Berillon, *& auribus addit vtrisq;*
Hinc atq; hinc viridi lucentes igne Smaragdos:
Iacturam factura libens, ſi ſola monili
Colla velit, placitisq; caput nudare lapillis
Miles, & à vitâ vacuus diſcedere prædâ.
38 *Iamq; puer poterat germana puella videri,*
Speſque erat hâc facie ſcrutantem eludere Parcam.
Euentu ah nimium ſpes eludenda caduco.
Nam quadrima ſoror, verſa miracula formæ
In fratre vt vidit, pallamq; agnouit, & auri
Ornamenta ſui, luctu indignante querelas
Rupit, & effuſo turbauit limina fletu,
Nec puduit furti puerum damnare biennem:
Nequicquam miſcente preces & munera matre;
Tantæ etiam primis odia exercentur ab annis!
Talia cum plorans perſtaret multa, vocatus
Deniq; Mars aderat; ſcalisq; globata ruebat
Tectorum in ſublime phalanx, Cornuſque Taruſque,
Hic gladiator Arabs, *hic* Mauro *è littore prædo,*
Carpus & Hasbytes, *& ahena in Caſside* Lampus,
Quiſq; ſuo comitante globo. Quibus Vrſula *viſis,*
Germanum lacrimis audax maioribus vrget;

Et

Et Cycladem reddi, capitiſq; repoſcit ademtum
Cum baccâ pendente decus: non illud Heloro,
Sed ſibi iure datum; Curruſq; & frena teneret
Ipſe ſibi, & domitos agitaret, vt ante, iugales.
F*as mihi fraternis vti negat eſſe quadrigis:*
Cur, ait, ergo meas fas eſſe exiſtimat in res
Ille ſibi? Geminas vbi Cornus *vtrinq; ſorores,*
Et nuſquam puerum circà, & puerilia nuſquā
Argumenta videt; Maternum callidus aſtum
Explorare parat. Nec defuit Vrſula *cœptis,*
Sed: meus, inquit, hic eſt germanus, hic ille ſuperbus
Veſte meâ! Mea ſunt hæc ſyrmata cycladis albæ,
Berylli *meus hic, meus eſt nitor iſte* Smaragdi,
Et Mundus meus omnis hic eſt. Dudum oderat illam
Cordula, *per natæ lacrimas malè perdita, litem;*
Sed medicina malo minor eſt. Nā fraude retectâ
Cornus *adeſt: vnaq;* Tarus, *crudele renidens*
Reddet, ait, frater redimicula gemmea, reddet:
Nulla mora eſt. Telum magna ſimul impete librat
In caput. Hic vero genitrix occurrere, lethi
Conſternata metu: clamáſq; immanè, per hoſtes
Et biſidos enſes ruere, & contemnere mortes,
Dum manibus clauſura pius defendat Helorum.
Antè tamen ſectū caput à ceruice reuulſum
Matris in expaſſas non ſponte relabitur vlnas.
Tunc aſtus damnare ſuos incepit obortis (emta
Cordula *cum lacrimis, germanaq; fratre per-*

Vrſulā

Vrſula, *quas veſtes irata popoſcerat, odit.*
39 *Ibat adhuc calidus iugulati ſanguis* Helori
Cum ſocij ruerunt in tecta propinqua latrones,
Iobus *vbi diues meritis, niueaq; verendus*
Canitie; geminos elato patre nepotes
Pantagathum Baſilumq; *domi ſecurus alebat*
Bimulum vtrumq;, pari dederat quos Taſſula *partu,*
Spem generis, claraq; domus atq; vberis auri.
Horum alter, lento ægra trahens ſuſpiria morbo
Mox (properata diem niſi vis præuerteret) vltro,
Quâ vitam natura viâ dimittere ſueuit,
Exceſſurus erat: Ferro tamen antè recepto
Per factos animum victorem efflauit hiatus.
Alter adhuc ſtragis cognatæ neſcius, intra
Intima tecta puer, plenamq; tapetibus aulam
Liber oberrabat, textasq; colore figuras
Auium & pecudum nutrice docente legebat.
40 *Effigies illic ex omnibus ominis vna*
Materiem ſuſpecta dabat: quâ ſtamine texto
Thariades, *auctor generis depictus* Hebræi,
Imperio ſuperûm clam triſtia ſacra parabat.
Hic vallis ſuberat, viuoq; ſimillimus amnis,
Illic ſilua frequens, mixtiq; leonibus vrſi,
Inde per aërias mons ibat in æthera nubes,
Cuius in excelſo perſtabat vertice magnus
Abramia *cum prole pater: quam faſce grauatam*
Roboreo, ignotas comitatus agebat ad aras.
Victima nuſquam aderat, nec turis acerra Sabæi.

Exigua

Exiguâ ſed vaſa ſenex animata favillâ
Triſtè ſilens, nato circumſpectante, ferebat.
Aſt alibi, allato lignorum è faſce, paratur
Area quadra pyræ; quam flexo poplite ſupra
Abrami ſoboles, nihil indignata, locatur.
Stat iuxtà ſenior, guttiſq; cadentibus aram
Spargit, & enerui librat diſtricta lacerto
Tela, per agnata ceruices itura cruorem.
Iamq; adeò vicina manus ceruicibus inſtat,
Cùm tempeſtiuus properat deſcendere cælo
Nuntius, æterni qui iuſſu numinis enſem
Arceat, innocua feriat ne colla iuuentæ.
Diriguit: mox iuſſa manus, vacuoq; pependit
Aëre, nec vulnus potuit, niſi vana, minari.
Sic vbi laxatis Aegea *per æquora ventis*
Euolat vncta ratis, cum ſeſe parua Biremi
Ingenti applicuit, lateriq; Echeneis *adhæſit:*
Tota repentè Carina ſtupet, quæq; ante volârat
Plurima, ceu ſcopulis infixa morantibus hæret,
Aut illiſa vadis. Miratur pigra magiſter
Aequora: nec, quamuis centeno remige tundat
Nerea, *vel totidem ſuſpendat carbaſa malis,*
Exorata ſinunt ſufflamina currere puppim.
Cælite non aliter ſuprà incumbente miniſtro,
Brachia Thariadę *riguêre immota parenti.*
41 *Talia* Pantagatho *monſtrabat garrula nutrix,*
Damnabatq; puer picta mala monſtra machæra
Sæpius, impacto in luſtrata tapetia pugno.

Ab

Ah periture puer, non hæc tibi tela cauenda
Quæ Phrygiæ *miraris acûs ſubtemine facta,*
Ferrea ſed Chalybum *venient ſudata caminis*
Spicula, non pugni tonitru frangenda, nec vllo
Euitanda metu! Vagus ergo tapetibus illis
Dum vacat, & picto penetrali paſcitur Infans:
Irruit ecce Merops *&* Hymettus: *vterq; cruentæ*
Nuper ab infami qui Munere *fugit* Arenæ;
Nunc in Idumeâ *legione tribunus vterq;*
Hic prior, vt textis puerum indulgere figuris
Senſit Hymettus, *& vnâ hærere in imagine pictâ*
Thariadę, *ac telum mirari immobile: Lenta*
Hæc, *ait, ira nimis: Quid enim ſenis arma mo-*
rantur;
Ignauâ diſtricta manu? nempe illa vetatur
Aligero? nugæ. Tu fæmina dic, ſe vocatus
An vibrare meos idem vetet aliger enſes.
Sic ait; & toruùm irridens, rapto enſe, iocan-
tem (*calo*
Pantagathum *obtruncat. Cadit ille: & victima*
Iſacias, *quæſita diu, tandem imbuit aras.*
42 *Hic* Iobus *clamore graui, quem territa nu-*
Suſtulit, excitus trepidè, cum cerneret vnà (*trix*
Occubuiſſe duos violentâ cæde nepotes,
Strataq; contiguo fœdari corpora tabo,
At tibi, ait, meritis pro talibus, impie (*iuſtas*
Si qua preces curant etiamnum ſidera) *reddant*
Digna, precor; quiſquis geminatâ ſtrage penates
Funeſtare meos, & dedere corpora leto

Au-

Auſus es inſontum. Nec enim! Vix iſta locutus
Corripit exeſum longâ rubigine ferrum,
Directaq́; petit præcordia multis haſtâ,
Haſta ſed extremos ſaguli perrupit amictus,
Cætera per ventos. & inanes exiit auras.
Nam citus imbellis deflexit Hymettus *ab ictu,*
Intorſitq́; ſuum gladiator: at impare in haſtâ
Impar ira fuit. Nam foſſa per ilia læuas
Tranſadigit coſtas; hisq́; aſperat vltima verbis:
I, ſequere, & ſolare tuos, Hoc, (ductor vt abſit,)
Inuenies; ait, enſe viam. Modò tramis eunti
Peruius eſt; præeunt multi, multiq́; ſequentur.
Tu medio ponère loco, Labat ille relictus
Viribus extemplo: largeq́; natante verendos
Purpurat immoriens puerorum in ſanguine Ca-
nos. (me

43 *Nec te pulcher* Hyla, *neq́; te formoſior* Hæ-
Tranſiero, paribus digni mihi vterq́; Camœnis;
Quos in ſceptrigeræ regali monte Sionis
Edidit vna parens, ſed non partu edidit vno
Alter enim ſeniore minor diſtabat ab Hæmo,
Quattuor annorum non amplius interuallo
Sexta ſuas Hæmo *numerabat meſſis ariſtas,*
Bruma niues portârat Hylæ *iam tertia. Felix*
Vna vtroque omnes æquabat Elyſa *parentes,*
Ni formidaret penetralibus edita ſacris
Fatidici reſponſa ſenis: quæ mente volutans
Sollicitâ, fletu votisq́; piare dicatis:

Sæpe laborabat. Grauidâ cum ferret in aluo
Nuper Hylam, didicit (dictu mirabile monſtrum!)
Effractum tecti ſubituros limen auiti
Inde, feram formâ horribilem, rabidoq; furentē
Dente lupum: Armeniis nutritā ſaltibus inde
Mole parē, & vario maculoſam tegmine tigrim,
Exitium ferale domûs: Quorum alter in Hæmum
(Incuſtodito veluti inſultaret ouili)
Panderet immanes armato gutture rictus,
Altera Hylam fixis, matre inſpectante, receptū
Vnguibus; inque artus & fruſta cruenta minutim
Diſcerptum, catulis prædam aſportaret obuncis.
44 Talibus illa diu perculſa; recondere gnatos
Vſq; ſuos ſtuduit; tigridiſq; lupiq; refugit
Nomen, & à picti trepidauit imagine monſtri:
Et nemorum ſaltus, & lucos odit, & antra,
Antra habitata feris. Multa illam auertere matres:
Multa illam voluêre nurus; ne triſtibus agræ
Duceret eſſe fidem: ſed nulla auertere matres,
Nulla illam potuêre nurus. Perſtabat Elyſæ
Cura timere feras. Neq; nox niſi talia ſemper
Nouerat inſomni ſimulacra oſtendere menti.
45 Ecce autem Solymâ diſceſſerat vrbe ſub illis
Fortè dies (veniam dederat Phidippus eundi,
Diues agri [illegible]uux, pecoriſq; & mercis abundans

Beth-

Bethlemios peteret famulis vt ſepta penates,
Maturosq; tori Genialis Elyſa *labores*
Demonſtraret auo. Heu! quanti mortalia caſus
Vota premunt! primam vix illo in limine noctem
Egerat infelix, cùm manè ſub ædibus adſtant
Armatum iuuenum clypeis fulgentibus agmen,
Quos ductabat Arar. *Duo perrupère ſeratas*
Vi properante fores, Clytus *alter,* Hydaſpius *alter:*
Ille, laboratas, galeæ pro tegmine, geſtans
Tigridis *exuuias, quarum latera extima curuis*
Vnguibus, exſertis horrebant dentibus ora:
Ille, Lupi *de pelle caput, refluamq; grauari*
Cæſariem; & pendens per terga natare ſinebat
Syrma feræ, inq; humeris vncos oſtenderat vngues.

46 *Hos vnà ingreſſos conſpexit* Elyſa: *nec enſes*
Nec ſcuta extimuit; ſed viſa tigridis *inde,*
Inde Lupi *facie, veteris memor ominis, illas*
Scilicet eſſe feras, miſera ſunt omina, clamat,
Omina nota mihi: ſuperi, ſeruate peremtos:
Prodita turba ſumus. Simul irruit obuia, paruumq;
Amplexatur Hylan, *vlnisq; ſinuq; trementem*
Nequicquam inuoluit. Clytus *inde, &* Hydaſpius *inde*
Viribus inſiſtunt pariter, pariterq; minantur,
Euoluuntq; ſinu. Tamen hærens illa repugnat
Quà potis eſt, & Hylan *violento iure tuetur.*
Donec inhærenti Clytus *enſe obſtantia truncat*

Brachia pertaſus. Tum deniq; victa reliquit
Mater Hylan. *At ij diuulſa prole potiti,*
Alterno rimantur Hylæ *caua tempora ferro;*
Calcatoq; latant ſparſim ſola trita cerebro.
Inde caput (quid ſaua ſibi vult ira licere?)
Suſpenſum ſuper alta locant haſtilia. Forma
Sed nec ibi ceſſauit Hylæ *formoſa videri,*
Oraq; adhuc ipſum decorabant mortua mortem.
47 *Aduolat hac inter, querulis clamoribus* Hæmus,
Hæmus *matris amor: qui poſt quàm vulnera vidit*
Latronum patrata manu, truncumq; cadauer
Fratris humi, & ſublime caput, matrisq; reſecta
Brachia, reſperſosq; ſinus; cum voce, peremtis
Incidit, & matrem vocat, heu, lacrimabile! Mater
An moritura taces? nec ad Hæmū *reſpicis?* Hæmus
Hic tuus, Hæmus *ego. Genitrix mea, negligis* Hæmum?
Audijt illa Hæmi *iam penè emortua nomen,*
Atq; oblita ſui, ſolito de more parabat
Stringere complexu venientem. At brachia nuſquam,
Qua collo iniÿcerentur, erant. Iterumq; retentat,
Atq; iterum truncos humeros orbata lacertis,
Ac manibus defecta mouet. Tum deniq; ſolos
Omnibus è membris ſibi ſenſit Elyſa *relictos*
Semianimes oculos: Hos illa recluſit ad Hæmi
Nomen, & adſpectu ſatiata recondidit Hæmo.
48 *Hic puer & lacrimis, & forma flore decorus,*

Ad

Ad ſocios ſceleris, ſaltem hoc concedite, ſaui,
Vos per ego has lacrimas, per ego vos: parcite fratrē
Tollere, ait, matremq́; mihi. Sinite omnia ſolus
Membra legam: fratris caput in ceruice reponam
Atq; iterū ex humeris languentia brachia nectā;
Atq; iterum ſparſum redigā in loca nota cruorē:
Omnia ſolus agam: Date fratrem, reddite matrē
Vos mihi, vel tales: Per ego precor vltima, tales
Reddite, ſi modus eſt. Nondum ſpirantia ceſſant
Pectora, verſat adhuc oculorum, (cernitis?) orbes
Frater: adhuc vitæ ſunt ſigna ſuperſtitis. addam
Vitæ aliquid de parte meæ; date, prodigus addam.
49 *Monuiſſet vox blanda feras; & (ſi qua profana*
Danda fides famæ eſt) Hæmo *nequiiſſet* Vlyſſes;
(Hectoream *quamuis potuit collidere prolem,)*
Vni afferre manus; nihil vni Colchidis *ira,*
Et Pandioniæ *nihil inclementia* Procnes
Auſa nocere foret, nihil auſa nocere Polyxo:
Sed Clytus, *& ſocius* Clyti Hydaſpius *auſus, vterque*
Rupibus Aeoliis *duroq; è marmore nati,*
Ore, animoq; tigres. Tenerum hi ludētibus Hēmū
Tantum obteſtantem, perq; omnia chara rogantē
Enſibus inſultant, quamquam defenderet ætas,
(Quippe duos toto propè luſtro exceſſerat annos)
Et niueos truncantq; pedes, iugulumq́; reſoluūt.
Ille cadit; veluti cùm fortè papauera grande
Decutit, aut vernum Pæſtano in littore florem

Obruit incumbens Auſtrîs *hiemantibus imber.*
Quis memoret reliquas vicina per oppida mortes
Præterea, Ioſippe? *Manus conſumere ferro*
Quos nequijt, vaſti rapuêre caloribus ignes,
Hauſerunt putei, merſêre Charybdibus *amnes,*
Obtriuêre pedes, ducta ſecuêre quadrigæ,
Colliſêre greges; & equorum præpete curſu
Ferrea calcatis ſuperobruit vngula membris.
Horruit ipſa dies, & atrocia funera Tellus
Attonito complexa ſinu; dubitauit an hoſtes
Viſceribus ruptis patulo ſorberet hiatu;
An ſuper euerſis ſepeliret montibus vrbes,
Ac, (niſi deſpiciens vetuiſſet ab æthere numen,)
Iam laxare fores tenebroſi carceris ibat,
Vnde ſimul Boreamque Auſtrumq. Eurumq; Nothumque
Æqua receſſuros vltrix armaret in hoſtes;
Euerſura reas inopino turbine turres,
Aut motura loco, & nutantia tecta iacenti
Æquatura ſolo. Subita ſed reſtitit ira
Prouida mens ſuperûm; celereſq; repoſcere pœnas
Diſtulit, vt grauius ſæuiret fulmine lento.
Talia cùm tecto memoraſſet in exule, feſſus
Conticuit tandem lacrimis redeuntibus Hoſpes.

Finis libri primi.

B. ALOYSIO.

INNOCENTISSIMO. IVVENI
OLIM

E. GONZAGARVM
ILLVSTRISSIMA. FAMILIA
PRINCIPI

POST
IN. SOCIETATE. IESV
MAGNO
INNOCENTIAE
EXEMPLO

NVNC
INTER. COELITES
MAGNO
INNOCENTIS. ADOLESCENTIAE
PATRONO
HOC. ALTERVM
DE *DD. INNOCENTIBVS*
VOLVMEN
CONSECRAT
AVCTOR

HERODIADOS
LIBER SECVNDVS.

HEſperijs *iam* Phœbus *equos immerſerat vndis,*
Lucebatq; facem Telluri Luna *minorem;*
Cùm ſceleris mẽs acta ſui formidine, cœpit
Acribus Eumenidum Herodem *ſulcare flagellis,*
Et noctem turbare metu, ſomniq; cupitam
Frontibus inſultans oculis arcere quietem.

2 *Ille quidem vmbrarum impatiens, vt fortè iacebat*
Inteſtudineo increpitans lenta aſtra cubili,
Innitensq; diem; iam dudum feſſus, auebat
Scire, quis Infantum iuſſà de clade reuerſus
Aemula narraret Solymi *cunabula regni,*
Ferro exciſa ſibi. Quid enim, Superi! inquit, inermi
In puero clypeata cohors tam lenta moratur?
An famâ praeeunte mali, fugêre relicto
Turba lare? an clauſis abſcedere Martia portis
Iuſſa phalanx, nequijt ſubiectis vectibus vrbem
Pandere, & impacto labefactare ariete muros?
An potius mutata fides; aurumq; tribunos
Vicit, & aere dato manus expugnata pepercit?

Quic-

Quicquid id eſt, accuſo moră. Cum talia multus
Volueret: illapſo per ſtragula ſerica ſomno
Deniq; corripitur. Mox tota cubilia monſtris,
Qualia ſecum animo fabricauerat antè diurno,
Circumfuſa videt, plenaſq; timoribus vmbras.
3 *Prima loci ſeruat nutu vigilante ſeratas*
Sollicitudo *fores. Vicina poſtibus errant*
Exanimes Curæ; *citroq; vltroq; recurrunt*
Mille Minæ; *&* Laruæ *mentito nomine mille.*
Et Tremor, *&* Lacrimæ, *& ſpoliata* Silentia *linguis,*
Et Macies, *&* Pallor, *& illatabile* Frigus,
Intimus effulti precioſa toralia lecti
Ambit obitq; Timor, *qui perula Regis inerti*
Imbuit oſſa gelu; & varia ſub imagine turbas
Ante oculos, atq; ora ciet. Turbâ vnus in omni
Altior; & ſupra ſolium ſublimis eburnum
Viſus adhuc geſtire Puer, *qui clarus auito*
Tempora vinciret diademate. Plurimus illi
Oris honos, oculiſq; venuſtas mira verendis.
Dextra decus ſceptri regale ferebat eburni:
Oſtro facta chlamys, chlamydis ſinus oblitus auro;
Cetera erant gemmæ, viſiſve ſimillima gemmis.
4 *Hunc alij ſtipare greges, rediuiua parentum*
Priſcorum ſeries, qui gratis vocibus illum
Iſaciâ ſibi quiſque ducem de gente legebant,
Illum vnum è Regum *clamantes ſtirpe nepotem,*
Sceptra Sionæi *maneant quem propria Regni.*

Contra autem Herodi *plebs bimula viſa minari*
Pollice funeſto, neq; diris parcere ſacrum
Carnificis vexare caput, vinclumq; catenis
Ad Rhadamanteum *violenta citare tribunal.*
Iamq; videbatur famulis inhonorus abactis
Ipſe trahi, & manibus cogi poſt terga reuinctis
Infima lactentis cadere ad veſtigia Regis:
Hic pauidum abrupit mens indignata ſoporem,
(Nam dudũ impatiens male ſana ſuperbia ſerua
Conditionis erat) vigilanq; an dormiat, hæret.
At neq; iam vigiles incuſſus deſiit artus
Affectare tremor, gelidoq; è corpore manans
Tum quoq; ſudor iit: pueri dum forma recurrit
Sæpius, ac mentem lymphatam plurima turbat.
5 *Segnia ſed poſt quam cælo inclinauit* Orion
Sidera, iamq; orbi caput Phœbeia *lampas*
Conſpicuam lucere diem: rediêre feroces
Bethlemij factâ populi de ſtrage phalanges,
Sanguine deformes, & adhuc ad plura paratæ
Funera, ni feſſi ſtupuiſſent cadibus enſes.
Tunc animo ceſſere metus: viresq; recepit
Aeger, & abſterſo gelidi ſudore pauoris,
Quærit an Infantem, *coniuratamq; rebelli*
Reppererint cum Rege *manum! Quæ funera plebis*
Pygmeæ *dederint? Nullúmne effugerit omni*
E pumila legione caput? Sceleriſne peremti
Eruerint verſos ad fundamenta penates,
Indicium ne quod meditati criminis exſtet?

6 *Incipit*

6 *Incipit infandum ſceleris caput; ordineq́ue Vnus*
Omnia cæſorum lamenta renarrat Acarnan,
Ductor Idumeæ *primus legionis* Acarnan.
Nec Veras narraſſe ſatur, mendacibus auget
Res odiis: Inuenta noui cunabula regis,
Sceptrumq́; chlamydemq́; , aurumq́; & quicquid Eoi
Donarint heroes. Et addit ſymbola Veri,
Deciſas ab Athone *manus, niueasq́; reſectum*
A ceruice caput, quod fixum iuſſerat alto
Præferri haſtili, totaq́; à plebe Videri.
(Illud Hylæ *fuerat pueri, quem nuper* Elyſa
Viderat iratâ laniari à Tigride mater.)
Hæſit Hylæ *adſpecto defixus in ore Tyrannus*
Longiùs, atq́; oculos, quamquam caligine tectos
Iam dudum, & tabo, ſparſoq́; cruore madentes
Rege tamen dignos ſtupuit: riſitq́; Videndo
Fixa rebellantis pueri mucronibus ora.
Vtq́; omnes puerile caput proſcindere diris
Audijt, inq́; ſuum iurata aſſurgere nomen
Signa ducum, exſiluit, geſtuq́; fauente probauit
Victrices aquilas: ac ſi Babylonia *quondam*
Expugnata ſuis memoraſſent mœnia ſignis,
Aut domitos bello Veniſſe in Vincula Perſas.
7 *Continuo primis belli ductoribus, omne*
Siue Tagi *pretioſa rotat quod arena, metallum,*
Siue quod Hermus *aqua generauit diuite, promit:*

Et nitidos, colli ſinuoſa volumina, torques,
Aemula Mæandri *donaria, prodigus offert.*
Nec parcit digitis Eoas *indere gemmas* (*ſtres.*
Pluribus, & *cenſus in turbam effundit eque-*
Quin adeò (priuata diem ne gaudia condant)
Attonitam tunicis albere nitentibus vrbem,
Et poſitis populo laxata per atria menſis
Regales inferre dapes, & *condita* Chio
Fundere vina cado iubet, vt conuiuia poſſent
Aſſyrios *ridere focos. Mox aëra flammis*
Miſsilibus lucere iubet. Stupuère volantes
Nubibus in medijs plebs non aſſueta dracones.
Vix agitata ferunt Tarpeio *gaudia cliuo*
Talia, cum Libyci *domitâ* Carthagine *regni*
Scipiadę *rediêre duces;* & *tota* Quirini
Progenies, Numidis *fruſtra plorantibus, egit*
Candida felices Pœnorum *è clade triumphos.*
Nec dum ſigna ratus ſatis edita multa Tyrãnus
Lætitiæ, potos vocat ad ſpectacula ciues
Editor, inſanæq; edicit Munus *arenæ:*
Confeſtim Cunei *Numero complētur* Equeſtres
Diuite, ſed Caueam *plebs obſidet infima* Summam,
Intenti, quam ſiue feram Venabula, *ſiue*
Iacta Secutorem *tunicatum* Retia *captent.*
8 *Forte* Remus *longo iam carcere clauſus, atroces*
Coniuge debebat iugulatâ pendere pœnas,
Vel Cruce *vel ſocijs* Serpente & Simio. *At illũ*
Ser-

Seruārat Nemeſis Gerulo *occulta Leoni.*
Alter Eryx, *quem triſte nemus ſcopuliq; nocentes*
Infamem fecēre diu: Scyronia *quondam*
Mitior (hoſpitibus quamquam omnibus improba) rupes.
Ille ſenes iugulare manu; fœtasq; ſolēbat
(Horrendum viſu!) matrēs vtrimque recuruis,
Nectere, laxatisque iterum, diſcerpere ramis.
Ille idem pueros conſuērat ab vbere raptos
Vel torrere veru, vel ſtipite figere acuto.
Delicias riſumq; ratus, ſpectare trementes
Ignibus in mediis ſemuſti corporis artus,
Viuáque adhuc, lentis membra obluctantia flammis.
Indicium ſceleris demum fecēre iacentum
Oſſa virûm, ſparſaque inhumata cadauera turba,
Lubricáque effuſi veſtigia ſanguinis. Inde
Captus Eryx, *Immane ſcelus qua morte piaret*
Impius æquali, nulla vſquam inuenta placebat,
Non, Tityo *ſi vultur edax aliquando relicto,*
Ad noua latronis migraret viſcera; non ſi
Arte, Perille, *tuâ, tauro mugiret aheno*
Conditus: illum æquas, Rhamnuſia *ſoluere pœnas*
Crediderat. Caueâ ſed formidata fremebat
Hircanâ *de valle Tigris: cui noxius vni*
Componi debebat Eryx; *longè impare pœnâ.*

 Ergo

Nudus ѵterq; ſubit: mediaq; iubetur arena
Stare loco, dum ſigna dari feralia pugnæ
Orcheſtra *iubeat proſpectans* Editor *altâ.*
Vt ſonuêre tubæ, Caueâ ruit, ecce, iubatus
Inde Leo, ſimul inde Tigris, ѵiſenda ferarum
Monſtra, quibus rabies & ѵis erat æqua nocēdi.
Hæc Erycem *petit, ille* Remum. *Stat corpore contrà*
Venator nudo, geminâ ѵenabula tendens
Sola manu, & morti ſociato Marte renitens.
Non metuit conſpecta Remi *ѵenabula Tigris,*
Sed curſu exſultante ferox occurrere telis
Gaudet, *&, hac illac nulli penetrabile ferro*
Corpus agens, quacunq; Remus *conuertitur, inſtat.*
Ille quidem nuſquam ſe deſerit, obuia monſtro
Tela rotans, exitq; ѵngues, ictusq; petentis
Tigridis euitat: dum ſummo denіq; ferri
Perſtrinxit mucrone feram. Furit illa doloris
Impatiens, repetitq; hoſtem ѵalido improba ſaltu,
Et læuum complexa femur, rapit ѵngue cruento
Ingentem lateris diuulſo à corpore pulpam.
Ilicet oſſa patent, & hiantia ѵulnera grandi
Sanguinis imbre pluunt. Remus, *ad ſpoliaria claudo*
Contendit properare gradu: ſed plurimus obſtat
Lictor, & ignitis iteranda in prælia lamnis
Cunctantem ſubigit, nec adeſt ſperanda nocenti
Miſsio, iamq; ægre fugiente labantia ſenſu

Ge-

Genŭa trahit, vixq; ipſa manu venabula ſer-
uat.
Acrior interea, & meliori robore victor
Pugnat Eryx, *multis exercita cædibus illum*
Dextra iuuat: Nunc læta ferit mucrone leonis
Tergora, nunc caudæ minitantis ſyrmata vitat
Impiger, inq; iubas & colla frementia fundit
Tela frequens, refugitq; celer, fugienſq; recurrit.
Et quantum ſuperat Leo vi, *tãtum arte Leonem*
Vincit Eryx. *Nam fortè cauam de puluere ſicco*
Vt licuit replere manum, ſabulum omne refudit,
Callidus, & iactam Libycæ *venator arenam*
Sparſit in ora feræ. Geminos caligo repente
Occupat atra ſinus oculorum, & nocte laborat
Bellua, dumq; oculis inimici pulueris imbrem
Excutit, vrget Eryx *toto venabula niſu*
Pectus in aduerſum, pellemq; libyſſida ferro
Traiicit. Hic plauſu dubio fremere omnia: victam
Pars clamare feram: pars expectare quid hoſte
Fiat adhuc! plagáne leo cadat ictus ab vna!
Interea dum perſtat Eryx *incumbere in haſtam*
Fortius, atq; ipſis luctatus in oſsibus hæret.
Iam perfuncta Remum *fera vicerat altera, &*
artus
Corporis auulſos, ſemeſaq; fruſta relinquens,
Improuiſa Erycis *ruit ad certamina Tigris,*
Atq; illum tergo reſupinat, & omnibus vngues
Artubus infixos ſulcata per oſſa cruentat.
Ipſe repentino perterritus hoſte: morantem

Inter

Inter prima feræ præcordia deſerit haſtam.
Vtq; anulſum humeris rabioſo dente lacertum
Abſtulit Hircanus *furor, ille (quod ultima vitæ*
Spes docuit) deiectus humi, (lacrimabile viſu!)
Tela capit, noua tela: tigremq; obuerſus in ipſam,
Ore ferox petit ora feræ, dentesq; laceſſit
Dentibus, & morſus alternis morſibus æquat.
Qualis, ubi in ſiluis alacer de gente Britannâ
Inter cæca lupum reperit ſpelæa moloſſus,
Mutua pugna calet. Sed Eryx *iam viribus impar*
Succubuit tandem; & laceris ſpectacula clauſit
Artubus, ac Tigrim labente cadauere pauit.

11 *Tollitur extemplo varius per* Equeſtria *clamor,* *(monſtrat.*
Pars Erycem *miſerata,* Remum *pars altera*
Hos tigridem ſpectare iuuat, laniata duorum
Corpora depaſcentem, & rictu vindice pœnas
Sumentem ſcelerum. Aſt alij venabula rident
Vulneri adhuc infixa, Leo qua tracta per omnem
Saucius huc atq; huc miſerè raptabat arenam,
Nequicquam indignans, ferrúmque reuellere quærens.

12 Editor *vt vidit non faſtidita probari*
Munera, *ductores vocat ad noua ludicra primos,*
Si qui forte velint iaculo contendere & arcu,
Prima Leo *dabitur meta, & meta altera Tigris.*
Præmia, cum Graiæ plumanti pondere Criſtæ
Aurea caſsis erunt, clypeiq; argenteus vmbo.

Dixit

Dixit, & inſignes ferri iubet omnibus arcus.
Continuò dat Nomen Atlas, *& iunctus* Atlanti
Eurymedon: *aequè timuêre* *Vtrumq; fugaces*
Perſarum cunei, quoties auerſa volabant
Spicula: mox Ammon, *belliquè ſupremus* Acarnan
Conſequitur. Pharetris hi quiſq; volatile telum
Corripiunt alacres, & equino cornua neruo
Contendunt omnes violenti, & arundine ſuprà
Impoſitâ, ad nutum ſinuatis arcubus adſtant.
Eurymedon *primus iaculo ſtridente Leonis*
Crura ferit; configit Atlas *ſuprema iubarum.*
Senſit vtrumque Leo; ſed quo peteretur ab hoſte
Neſcius, ac triplici iam dudum vulnere tardus,
Vnguibus in vacuam furit indignatus arenam.
Tertia pòſt arcu lentato deſtinat Ammon
Tela; ſed eluſo labuntur vulnere prater
Colla fera, mollemq; laceſſunt irrita terram.
Ipſe grauat gemino ſua deniq; cornua ferro,
Et valido neruos conatu tendit Acarnan:
Vtq; manu chordas iterum laxante remiſit,
Auolat, & patulas lethalis arundo per aures
Indita Maſſyli *penetrauit tempora monſtri,*
Ac cerebri rimata vias, immobilis haſit.
Concidit exanimis. Sequitur per Equeſtria *plauſus:*
Victorique venit, donum ſpectabile, caſſis.
Et galea criſtatus apex; qui plurimus auri

Lucentes radijs undantibus euomit ignes.
13 *Ille mora impatiens, pharetra depromit eadem*
Altera lunato præfixa haſtilia ferro,
Tigridis in cladem. Sed vana per aëra virtus
Exijt, atq; artem tigris fruſtrata fefellit. (non
Proximus Eurymedon, *& eidem proximus* Am-
Arma capit, iaculoq; feram perſtringit vterque,
Ille quidem obliquo maculoſum vulnere tergus,
Hic oculi mucrone ſinum. Fixæq; ſagittæ
Quæq; ſuo manſere loco, velut altera corpus
Circumagat plenum iaculis horrentibus Hiſtrix.
Solus adhuc reſtabat Atlas: *Qui, cedite, Tigris*
Atlanti *debetur, ait. Pariterq; tetendit,*
Laxauitq; arcum. Stridens properanter arundo
Per coſtas abijt, medioq; in viſcere inhæſit.
Hoc habet, hoc, *exclamat* Atlas: *date præmia, Tigris*
Occubuit. Sequitur populi cum murmure plauſus
Et Clypei promiſſus honos, argenteus vmbo.
Vmbo laborat, monſtrabat imagine fratres
Terrigenas, (vaſto deformem corpore turbam,)
Expugnaturos cœli conuexa gigantes.
Aerata facies illis, latera ære, lacertiq;
Aere rigent omnes: Electro crura, pedesq;
Extremaq; manus: argento grandia candent
Saxa, quibus caluum iaculis peſſum dare niſi,
Irrita turba: rubet vis torti fulminis auro.
Totum opus artifices Chalybum *fudêre camini,*

Herodi

Herodi *donârat* Arar, *qui* Perſicus *olim*
Hoſpes ad Herodem ſolitus diuerterat: illud
Deniq; victori Herodes *donauit* Atlanti.
Sic epulis impenſa dies ludiſq́; Tyrannum
Abſoluit ſecura metu, totoq́; rebelles
Ex animo infelix aboleuit opinio curas. (*ctas*
14 *At non illa domos implebant gaudia vi-*
Interea, ſed longa foro lamenta ſonabant,
Immenſuſq́; genis iam deficientibus, ibat
In faciem crinemq́; dolor, mortiq́; ſuperſtes
Per lucem durabat adhuc. Sine funere nulli
Se vidêre lares, nullæ ſine vulnere matres.
Iamq; aliæ gremio depoſta cadauera condunt,
Amplexuq; fouent: aliæ ſquallentia lymphis,
(Vt ſoboli ablatam reddat manus irrita formã,)
Ora lauant, madidaſq́; extergunt ſindone plagas
Hæc diſperſa legit ſpatijs diſtantibus oſſa,
Ceruiciq́; caput, femoriq; reponere tentat
Truncatos miſeranda pedes: hæc brachia quærit
Infelix, humeris vt iuncta carentibus aptet.
Illa oculis replere ſinus ſtillantibus orbos,
Et digitis digitos adiungere, & artubus artus,
Totus ad exequias vt matri appareat infans.
15 *Abſtruſos etiam genitrix nõ vna gemebat,*
Aut quærebat adhuc poſt deſita prælia gnatos,
Quos turbata metu latebris abſconderat atris
Pridie: at è latebris nullos decepta recepit.
Quippe ſuo geſtans puerum Mangora *bimeſtrem*
Vbere iam potum, & velatum ſindone Coã
Sopi-

Sopitumq; ſinu viſis in limine primo
Enſibus, abdiderat vicino pignora furno:
(Hoc fuga conſilium properata reliquerat vnum)
Liba ſiligineæ fuerant vbi fortè farinæ
Cocta prius, nec dum calor inde receſſerat omnis:
Ipſa tamen, ſtudio fallendi, oblita caloris
Indiderat puerum. Vix iſtud, & ecce ruentes
Certatim à tergo ſcelerum ſubiere manipli,
Compenſamq; minis iuſſerunt edere, proles
Tecta lateret vbi. Sed plurima iuſſa fateri,
Et pueri monſtrare locum Mangora, *negârat*
Omnia: nec gladio, docilís, nec verbere, cogi.
Ergo indignati, pedibus calcare negantem
Inſtiterunt, pugnisque omnem contundere: donec
Mentis inops, ſensûsque parens procumberet impos.
Tum vacuâ fugêre domo. Iacet illa, ſequentes
Dum Phœbi *rediêre faces; ibi reddita menti*
Sopitos paullatim oculos è morte recludit;
Abſtruſaq; memor ſobolis, ſine voce recurrit
Ad furni feſtina fidem. Foribusq; remotis
Inuenit. (horrendum viſu!) deformia toſtæ
Oſſa cutis, Maurasque *manus, & aduſta duorum*
Ima pedum; & toto nihil oris in ore relictum.
Hic hominum Mangora *fidem ſuperûmque popoſcit*
Vociferans: pectusq; manu: crinesq; reuellens,
Se queritur feciſſe nefas. Ego morte piandum

Crimen

Crimen; ego nullis ſcelera vnquam inuenta no-
Conciui genitrix. Potui ſubducere ferro (uercis
Natum ego, fumãti quò poſſem includere furno?
Hic fuit, hic genitricis amor! crudelior ipſo (ſans:
Hoſte parẽs. Sine matre foret, modò viueret in-
Aut leuius certè periiſſet ab hoſte, necaſſet
Enſe ille, at mater mitiſſima ſæuijt igne.

16 Barbara *tunc etiam lethi rea ; bimula*
pòſt quàm
Audierat ferro mactari pignora, Bulbum
Fænili incluſit, ſtipulaque obſepſit opacâ
Vndique, vix ſpatijs ad ſpiramenta relictis.
Vt digreſſa loco eſt, fœni omnis meta relapſa
In puerum, iniuſto cunabula pondere preſſit,
Arctauitque animæ ſpiracula prorſus, iterque
Eripuit voci. Sed milite mater abacto
Iam perfuncta ſibi diſcrimine viſa, redibat
Ad natum; & , viuis certè mihi, Bulbule *(miles*
Rumpatur) mihi viuis, ait. Vox nulla parenti
Redditur. Accurrit tãto magè Barbara Bulbum
Accipere. Hic, eheu! collapſâ mole ſepultum
Repperit: & tumulo quamquam feſtina refoſſo
Eruerit, mutata tamen iam repperit ora,
Ora parens maculis nimiùm ſuffuſa cruentis,
Venasque exſangues, glacieque rigentia membra,
Et Bulbum *exanimem. Viſu perterrita tollit*
Cum gemitu vocem ingentem; defectaque claudit
Semineces oculos: nec plus effata recumbit
Barbara, *defunctaque animam cum prole relin-*
quit. 17 *Cau-*

17 *Cautior hac (nec cauta tamen ſatis) eſſe* Sabella
Celando potuit puero in Tritone *videri.*
Nam querulum infantem fidâ incluſura ſub ar- (*ca*
Ne ſeſe lacrimis ſcrutanti proderet hoſti,
Mella ſoporifero confudit Hymettia ſucco,
Hoc pueri ſomnum, ſomniq́ ſilentia mulſo
Effectura parens. Dryope *miſcere* Sabellam
Hunc docuit cum melle dolum. Sed vtramq́ fefellit
Euentu renuente liquor. Nam ſopijt Vmbrum
Ille quidem, at ſomno conſopijt Vmbrum *æterno.*
Mater enim properante manu, dum fortè liquorē
Appetit innocuum, mixtis aconita cicutis
Corripit infelix; & toxica præparat Vmbro.
Ergo ſuas artes ſeſeq́ Sabella *querelis*
Increpat, & quanuis ſæuam magis eſſe nouercā
Vociferans proclamat in hanc noua tela parentē
Sumite crudeles, hanc telis figite matrem:
Si tamen & matrem, quæ mella armare veneno
Non timui, natumq́ amens hac arte peremi.
18 *Talibus à ſtudijs alibi dū plurima feruent*
Tecta, laresq́ viæq́; Nigro ſubit agmen amictu
Funebre, multa gemens & fœmineo vlulatu
Aurasq́ lateasq́ replens. Effertur Arisbæ
Heroa de ſtirpe Paris: *quem mater* Agylla
Floribus à vernis, non vnâ voce, iubebat
Nunc violam, nunc eſſe roſam, nunc quicquid Acanthus

Et

Et Narciſſus *erat*, Paris *omne erat illud* Agyllæ
Tunc, eheu, non ille Paris! *Languebat in alto*
Exanimis puluino; Vbi pallidus ora genasque,
Mutatusq; color; nulla Vſquam purpura, nullus
In candore rubor, niſi quem manantia ſuerunt
Vulnera, reſperſusq; cruor formare ruborem.
Pectus hiabat adhuc, iuguliq; cruenta ſoluti
Plaga: fatebatur gladij Veſtigia ceruix,
Traiectumq; latus. Tam paruo in corpore tantis
Vulneribus ſpatium deerat: Vixq; altera cuiquã
Per maiora fuit dimiſſa foramina Vita.
Inſita de feretro pendebat ſerica: iuxta
Mærebant priſca fumoſa inſignia gentis,
Et ſeries memoranda domus, & Martia belli
Gloria; dignataq; toris regalibus Vmbra,
Opplorabat anus modulato Præfica *leſſo,*
Inuidiamq; tribus motura ſororibus, Vnum
Inſtabat pueri crebra exprobrare cadauer.

19 *Orba ſequebatur miſerabile funus* Agylla
Mater, & , imbelli quamquam circumdata ſexu
Pectora non poterat liuentia plangere, crinesq;
Iniectâ Vexare manu (nam turba Vetabat
Mollior) orſa tamen magnis Vlulatibus Vrbem
Exciit, &, matri ſua reddite gaudia, matri;
Quò rapitis? gremio debentur pignora noſtro
Vos illis cognata domus. Sinite oſcula charis
Vltima ferre genis: date dulcia lumina matri,
Effugientis adhuc animæ Veſtigia quæram:
Reſtat adhuc fortaſſe calor: Date, perſequar om-
nes *Relli-*

Relliquias vita, gremioq; tepente fouebo.
Aut ſaltem properate minus: Per ego vltima matris
Vota (vel hic matris venerabile ducite nomen)
Lentius ite, precor. Quid enim feſtina citatis
Funera? Tardantes etiam properare putabo.
Alloquar antè meum: breuis eſt mora. Sentiet ille
Vel media de morte, ſcio; neq; mutua matri
Reddere verba ſua proles orata negabit.
Deniq; ſi ſoboli ſacrum exſequiale paratis,
Nos erimus tumulus; gremio condatur in iſto:
Nuſquam illi melior, nuſquam altera charior vrna.
Quòd ſi alio mens eſt illam tumulare ſepulcro,
Addite me proli, & cum pignore condite matrem:
Hæc effata; ſimul defectis ſenſibus amens
Præcipitatur humi: Famulæ ſimul vndique certant,
Pars dominam releuare ſinu, pars brachia fulcro
Excipere, aut labris medicatos indere ſuccos,
Inuitamq; ægro retinere in corpore vitam.
At Paris *interea feretro ſublimis in alto*
Venerat ad nemoris caua Mauſolea *paterni.*
Lucus vbi multam viridi quincunce cupreſſum
Continuans, horrente locum circumſidet vmbra.
Interior quadro Libyes *è marmore ſurgit*
Pyramis, *& cælo turrita cacumina tollit.*
Subter anhelat humus, cæcis laqueata cauernis,

Ob-

Obſcuri cinerum tantum vmbrarumq; penates
Inde ferunt crebros altâ caligine manes
Per vacuum curſare nemus, tenuiq; lucernâ
Conſpicuos, pauidis interdum occurrere vernis,
Et tacitos gemitus, & murmura rauca ciere.
21 *Hoc* Paridem *poſuêre ſpecu: ſimul vbere ſummum*
Cum fletu dixêre vale: tumbamq; grauârunt
Barbaricis opibus. Iuxtà abiêcere nitentem
Staminis aurati chlamydem, mirandáque Serum
Texta, & Puniceo *pretioſas murice pallas,*
Geſtârat quas antè puer. Tum turba Sabæo
Ture locum, & pleno ſparsêre cadauer amomo,
Pallentiq; croco, ſpicaq; liquore Ciliſſæ.
Aſſyriis *nunquam fragrauit odoribus* Vrna
Largius. optârat (veniam ſi terra dediſſet)
Vnius in pueri tumulum ſe impendere tota
Heſperij *nemoris*, Siculæque *opulentia* Floræ.
Hoc vnum natura loco conceſſit, vt vda
Pyramis *aſsiduè cæleſti rore maderet,*
Haſq; ſibi lacrimas ſeruaret tumbâ perennes.
Tu tamen his hodie, puer ô pulcherrime, noſtris
Sponte roſis violiſq; cares: pedibuſq; beatis
Elyſii meliora teris violaria campi,
Spirantesq; roſas, & candida lilia paſsim
Omnibus ipſe roſis violiſq; venuſtior ambis.

22 *Inſe-*

22\. *Inferijs huic rite datis, dum pompa re-
uertit*
Funebris, occurrunt alijs à partibus æquo
Cum gemitu diuerſa cohors, certantq; refoſſis
Quæq; ſuos mæſtæ cineres inferre ſepulcris.
Hac Halys, *hac effertur* Atys. *Portatur* Helorus
Hexaphoro, modicumq; extra pomœria cippum
Nactus, ab aſſuetis diſcit diuertere cunis.
Proximus huic Menelae *iaces, huic proximus*
Arge,
Aggere quiſq; ſuo: neutri decus abfuit Vrna,
Quæ patrias abſumſit opes: hauſtumq; patentes
Vnguen odoriferum non parca refūdit in auras;
Pars quorum plebeia domus, tenuisq; parētum
Cenſus erat, buſto plures tumulantur eodem,
Concordes animæ, ſociáq; teguntur arena.
Pars opulenta ſuas materno in limine tumbas
Accipiunt, ſolitosq; ſinus poſt funera ſeruant.
Exſequijs ita tracta dies lugubribus, Vrbi
Attulit æterno memorandos omine faſtos.
23 *Interea cedente die ſucceſſerat Vmbra*
Altera, cùm pulſus iam per diludia Terror
Ad pauidi rediuiuus adeſt penetralia Regis,
Herodemque *petit. Rurſum illa minantia plebis*
*Agmina, rurſum aquilas regniq; inſignia mon-
ſtrat*
Aemula, & impoſitum puero diadema rebelli.
Tertia nox eadem, atq; eadem illi quarta reducit
Spectra quies: Nullus Pueri *ſine imagine ſomnus.*
Er-

Ergóne viuat adhuc? & adhuc, ait, imperet (infans,
Exieritq; meos arcanis artibus enſes
Improbus, & tantâ cæſorum è clade ſuperſit?
Exierit. Scrutabor adhuc; ſiue intima terræ
Viſcera, ſiue vteri natale regreſſus in antrum
Fugerit: è matris gremio, terræq; receſſu
Callidus effodiam. Caput hoc faſceſq; retentos
Deiero. Non fallam periuro carmine numen.
Dixerat. Attonitæ procul intentæq; morantur
Excubiæ domini, quem deſtinet ira nocentem,
Cui iubeat concire necem? Ceu quando vagatus
Saltibus Idæis *leo circumfuſa tuetur*
Pinguia terga boum; rabidâ fremit obuius irâ
Exſultatq; iubis, atq; horridus exſerit vngues;
Exſpectant pauidæ, muto paſtore, iuuencæ,
Quam rabies animam, quos inuaſura ſit armos.
24. *Talibus* Herodes *dum curis angitur, & quem*
Omnibus ex pueris vicinia nutriat hoſtem,
Ambiguus multâ cum ſuſpicione volutat:
Paruulus ingreditur, famulo ductante, Polites,
Tertia quem vix dum ſuperata reliquerat æſtas,
Sera patris ſoboles, natuq; nouiſſimus Infans.
Sueuerat ille ſeni formoſus, hiante labello
Oſcula ferre patri, dictoq; recedere ſalue:
Tunc facturus idem. Neq; Rex, quamquam antè ſtetiſſet
Torua tuens, potuit venienti occurrere toruus:
Sed mulcere manu, vultuq; fauere ſereno

Promtus in agnato ſe patrem ſanguine ſenſit.
Excidit ira prior, noctiſq; metuſq; recentis
Immemor, à pueri didicit manſueſcere vultu.
Vtq; data infanti eſt abeundi copia, vidit
Purpuream à tergo chlamydem, limboſq; rigenti
Conſpicuos auro; & flauam diademate cingi
Cæſariem, ac plenis pendere monilia baccis:
Nec deerat manibus ſceptri geſtamen eburni,
Quod dederat nuper, puerilia ludicra, nutrix,
Ludicra, *ſed vertenda breui in ioca ſeria fletu.*
Nam viſa Herodes *excitus imagine, ſecum*
Continuò, (nouus Eumenidum *furor intus agebat*
Continuò:) ſatis eſt, nec inani ludimur vmbrâ.
Deprenſus puer eſt: patuêre ænigmata. Noctis
Monſtrârunt toties quem ſera crepuſcula, gnatus
Is meus eſt. Miſero quid patri denique reſtat?
Ah meus eſt: agnoſco manus, chlamydémque rubenti
Murice fulgentem. Simili ille refulſit in oſtro:
Ille comam ſimilem, ſceptra ille ſimillima geſſit.
Prô ſuperi! men' ergo meus diademate ſanguis
Exuet? & patria puer inſidiabitur aula?
Quid monſtri fortuna paras? Ego callidus extrà
Plebeios vaſtare lares, ſuſpectaq; capi
Formidare domûs aliena limina: Regni
Cognatis fuerat quærendus in ædibus hoſtis.
Ipſe mihi inſidias genui pater; ipſe cauebo

Qui

Qui genui. Proles abſoluet cæſa parentem.
Non Chalybum *ſi mille iugis vallata reſiſtat,*
Aut Solymis *teneat mediam penetralibus arã,*
Vitabit moritura patrem. Sic fatus Achillam
(Infelicis erat pueri moderator Achillas)
Maturare iubet perituri fata Politæ.
Reſtitit hic, & abire negat: ſed abire negantem
Cogit abire ferox. Abeuntem vt deniq; vidit,
Mitior ire vetat. rurſum vt ſubſiſtere ſenſit,
Rurſus abire iubet; rurſusq; moratur euntem.
26 *Qualis* Biſtonio *pinus* Rhodopëia *nutat*
Fixa iugo, quoties dubij in contraria venti
Bella ruunt; vnaq; Eurus Boreásque *ſonanti*
Agmine confligunt; dubitantq; cacumina ſiluæ
Cui vento parere velint: huc pinus & illuc
Diſsidio raptata cadit; modò vertice læuam
Prona ſalutat humum, modo dextrum flexa recumbit
In latus, & tota inconſtans à ſtirpe vacillat.
Sic varius nutat dubia ratione Tyrannus;
Et, quid, ait, maleſanus ago? Iugulabitur Infans?
Et Puer *&* meus *eſt: Titulus ſeruare* Politen
Alteruter, vel vterq; iubet. Defendere neuter
Imo iubet. Docui iam poſſe occumbere ferro
Et Pueros, *& poſſe* meos: *Quamquam ergo* Polites
Et Puer, *&* meus *eſt, titulo damnatur vtroque.*
At nondum ille nocens! Ideò cadat; ut in ipſo
Ne videam fieri cæſo genitore nocentem.

Nondum anni nocuiſſe ſinunt! Scelus impedit ætas!

Iam nocuit, quicumq; poteſt aliquando nocere.
Aude aliquid genitor: tuq; irreuocatus, Achilla,
Iſpropera, atq; abſolue patrem. Detrectat Achil-
Imperium ferale ſenis, facinusq; cruentum (las
Abnuit; ingenio potius moderanda Tyranni
Iuſſa ratus: puerum metuente à matre Politen
Amplectenda patris placandi ad genua reducit
Ignarum, ſi forte rudi præcordia linguâ
Molliat, aut riſu properantia fata retardet.

27 *Ingreſſum, & palmas (ita ductor iuſſerat) ambas* (*cantem,*
Tendentem, dominumq; iterum Patremq; vo-
Non tulit Herodes: *cædisq; oblitus & iræ*
Protinus, in gremium, paſſasq; admiſit in vlnas.
Sicut, vbi Phrygius *palmis arctârat auitis*
Aſtyanacta *ſenex, animo vaneſcere ſenſit*
Mille rates Danaûm: *nulla obſtrepuêre phalāges*
Manibus, & patria nuſquam occurſabat Achilles:
Omnis in adſpectu requièrat cura nepote.

28 *Vt tamen in chlamydem pater ora ſubinde retorſit,*
Confeſtim Furiæ, *regniq; pericula totum*
Eiecêre Patrem. *Redeunt meditata nocendi*
Conſilia: & laqueum geſtata monilia præbent.
Ergo manum iugulo lactenti accommodat ipſe,
Iniectamq; iterum perterritus ipſe remouit:

Idq;

Idq; iterũ, atq; iterũ. Donec, facto impete, victor,
Tandem, ait, audendum eſt, ignauia lenta quid
hæres? *(lo*
Vince manum. Simul hæc, ſimul ipſa monilia col-
Implicat inſonti, inguloq; adſtricta coarctat.
29 *Principio ridere Puer, neq; ſeria cladis*
Signa putare ſua. Sed vbi anguſtata coiuit
Faſcia, & excluſit vitales faucibus auras:
Tum pedibus trepidare tener, clauſumq; negatæ
Quærere vocis iter, tum colli vincula vanâ
Extricare manu, triſtiq; reſiſtere nodo.
Vtq; nihil valuêre manus, elanguit oris
Cum candore decor, tumuerunt ſanguine venæ,
Et liuento genas ſubijt caligine nigror,
Perq; oculos aureſq; cruor nareſq; cucurrit.
Nec tamen incepti pudor impia pectora mouit,
Durat adhuc, pergitq; anima præcludere ſæuus
Spiramenta pater, fauceſq; potentius arctat:
Donec in immiti complexu deniq; fecit
Vt ſibi vita viam, eliſoq; è corpore ceſſit.
Omnibus extemplo fugit calor artubus omnis,
Succeſſitq; gelu: iacuit pulcherrima ceruix,
Marmoreæ cecidêre manus; haſêre lacerti,
Riguêre pedes, oculis extincta duobus
Gemma duplex, ſquallor capitis turbauit honorã
Cæſariem, & nuſquam agnouit ſua forma Po-
liten.
Vt ſi quà Hiblæo *vagus hoſpes oberret in horto,*
Florida regna terens, greſſuq; licente decoros

Interimens flores, violamq́ue thymumq́ue roſamq́ue
Et calcata premens neglecto lilia paſſu;
Nobile germen obit: ſparſoq́ue beata grauatur
Forma luto, & nulli iacet agnoſcenda colono.
At regina, mali quamuis ignara, requirit
Amiſſam ſobolem, vacuamq́ue vagata per aulam,
Omnibus in famulis orba ancillisq́ue moratur.
Triſtè ſilent omnes, ſilet ipſe rogatus Achillas,
Dum cauet infauſti ne fiat funeris index.
Iam caligo diem tenebris obduxerat atris,
Cùm lacrimas curasq́ue parens defeſſa remiſit
Denique, &, in ſomnum non ſpontè ſoluta, quieuit.
Hîc oculis vix dum coëuntibus, ecce; repertum
Vidit adeſſe, ſuum notâ cum veſte Politen,
Non roſeum, velut ante, genis vtrimque rubentem,
Nec riſu facilem: ſed opertum ſanguine multo,
Et facie ſquallentem, & vix à matre videndum.
Cui prior ipſa, Redis tandem, ô mea maxima, dixit,
Cura redis? Ecquis peregrino ſchemate mutat
Ora decora color? Simul amplexura Politen,
Eluſo tenuem complexu fertur in vmbram.
Ter que ſinu inuitat genitrix, ter ſenſit inanem
Eſſe ſinum. Quo ſemper abis, ait, vnice? matrem
Nate cupiſe vides. Rurſum vtraque brachia tēdit,
Vtraque ſed vano complexu brachia rurſum
Luſa videt. Tandem ipſe, Parens, ait, oſcula nato
Sera paras: vacuam preſſas ſine corpore formam,
Et manes a morte meos. Iam nulla caduca

Gau

Gaudia me vita, nec ſpes ſolantur inanes.
Et ſceptri puerile mei geſtamen, & auro
Intertexta tuo ſordet mihi purpura: pro me
Deſine mortales, mater mea deſine, curas.
Ne fruſtra crucière tamen: Non horrida rictu
Me fera, nec caſu rapuit fortuna ſiniſtro;
Sed pater ipſe manus violentas attulit, ipſe
Nexuit inſonti baccata monilia collo,
Et fauces laqueo precioſo ſtrigit anhelas.
Accelerata tamen nihil obſuit Atropos: *aula*
Quæ patriæ ſublata perIt mihi portio, regno
Elyſiæ eſt penſata plaga. Tu quærere prolem,
Et plorare parens perituro murmure ceſſa,
Aeternumq́; vale. Nec plura locutus, in auras
Ocius excita puer à genitrice receſſit.
31 *Inſequitur clamore fugam Regina,* Politem
Ingeminans, oculoq́; locum vigilante per omnem
Circumiens, nati veſtigia vana requirit,
Materniq́; ſinûs deplorat damna: furensq́;
Multa ſuper formâ queritur, ſuper indole multa
Pignoris amiſſi- nunc vnum accuſat Achillam
Ductorem pueri; nunc imputat omnia matri
Infelix; nunc tota minis, & inanibus ipſum
Vocibus Herodem, *non exaudita, flagellat.*
Talis erat, quando Nemeæa *per arua cupitum*
Inachios *ductura duces properarât ad amnem*

Relliquias vitæ, gremioq; tepente fouebo.
Aut ſaltem properate minus: Per ego vltima matris
Vota (vel hic matris venerabile ducite nomen)
Lentius ite, precor. Quid enim feſtina citatis
Funera? Tardantes etiam properare putabo.
Alloquar ante meum: breuis eſt mora. Sentiet ille
Vel media de morte, ſcio; neq; mutua matri
Reddere verba ſua proles orata negabit.
Deniq; ſi ſoboli ſacrum exſequiale paratis,
Nos erimus tumulus; gremio condatur in iſto:
Nuſquam illi melior, nuſquam altera charior vrna.
Quod ſi alio mens eſt illam tumulare ſepulcro;
Addite me proli, & cum pignore condite matrem.
Hæc effata; ſimul defectis ſenſibus amens
Præcipitatur humi: Famulæ ſimul vndique certant,
Pars dominam releuare ſinu, pars brachia fulcro
Excipere, aut labris medicatos indere ſuccos,
Inuitamq; ægro retinere in corpore vitam.
20 *At* Paris *interea feretro ſublimis in alto*
Venerat ad nemoris caua Mauſolea *paterni.*
Lucus vbi multam viridi quincunce cupreſſum
Continuans, horrente locum circumſidet vmbra.
Interior quadro Libyes *e marmore ſurgit*
Pyramis, *& cælo turrita cacumina tollit.*
Subter anhelat humus, cæcis laqueata cauernis,
Ob-

Obſcuri cinerum tantum vmbrarumq; penates
Inde ferunt crebros altâ caligine manes
Per vacuum curſare nemus, tenuiq; lucernâ
Conſpicuos, pauidis interdum occurrere vernis,
Et tacitos gemitus, & murmura rauca ciere.
21 Hoc Paridem poſuêre ſpecu: ſimul vbere ſummum
Cum fletu dixêre vale: tumbamq; grauârunt
Barbaricis opibus. Iuxtà abiêcere nitentem
Staminis aurati chlamydem, mirandáque Serum
Texta, & Puniceo pretioſas murice pallas,
Geſtârat quas antè puer. Tum turba Sabæo
Ture locum, & pleno ſparsêre cadauer amomo,
Pallentiq; croco, ſpicaq; liquore Ciliſſæ.
Aſſyriis nunquam fragrauit odoribus Vrna
Largius. optârat (veniam ſi terra dediſſet)
Vnius in pueri tumulum ſe impendere tota
Heſperij nemoris, Siculæque opulentia Floræ.
Hoc vnum natura loco conceſſit, vt vda
Pyramis aſſiduè cæleſti rore maderet,
Hasq; ſibi lacrimas ſeruaret tumba perennes.
Tu tamen his hodie, puer ô pulcherrime, noſtris
Sponte roſis violisq; cares pedibusq; beatis
Elyſii meliora teris violaria campi,
Spirantesq; roſas, & candida lilia paſſim
Omnibus ipſe roſis violisq; venuſtior ambis.
22 Infe-

22. *Inferijs huic rite datis, dum pompa reuertit*
Funebris, occurrunt alijs à partibus æquo
Cum gemitu diuerſa cohors, certantq; refoſsis
Quæq; ſuos mœſtæ cineres inferre ſepulcris.
Hac Halys, *hac effertur* Atys. *Portatur* Helorus
Hexaphoro, modicumq; extra pomœria cippum
Nactus, ab aſſuetis diſcit diuertere cunis.
Proximus huic Menelae *iaces, huic proximus* Arge,
Aggere quiſq; ſuo: neutri decus abfuit Vrna,
Quæ patrias abſumſit opes: hauſtumq; patentes
Vnguen odoriferum non parca refudit in auras;
Pars quorum plebeia domus, tenuisq; parentum
Cenſus erat, buſto plures tumulantur eodem,
Concordes animæ, ſociáq; teguntur arena.
Pars opulenta ſuas materno in limine tumbas
Accipiunt, ſolitosq; ſinus poſt funera ſeruant.
Exſequijs ita tracta dies lugubribus, Vrbi
Attulit æterno memorandos omine faſtos.
23 *Interea cedente die ſucceſſerat Vmbra*
Altera, cùm pulſus iam per diludia Terror
Ad pauidi rediuiuus adeſt penetralia Regis,
Herodemque *petit. Rurſum illa minantia plebis*
Agmina, rurſum aquilas regniq; inſignia monſtrat
Aemula, & impoſitum puero diadema rebelli.
Tertia nox eadem, atq; eadem illi quarta reducit
Spectra quies: Nullus Pueri *ſine imagine ſomnus.*

Er-

Ergóne viuat adhuc? & adhuc, ait, imperet
Exieritq; meos arcanis artibus enſes (infans,
Improbus, & tantâ caſorum è clade ſuperſit?
Exierit. Scrutabor adhuc; ſiue intima terra
Viſcera, ſiue vteri natale regreſſus in antrum
Fugerit: è matris gremio, terraq; receſſu
Callidus effodiam. Caput hoc faſcesq; retentos
Deiero. Non fallam periuro carmine numen.
Dixerat. Attonita procul intentaq; morantur
Excubia domini, quem deſtinet ira nocentem,
Cui iubeat concire necem? Ceu quando vagatus
Saltibus Idæis leo circumfuſa tuetur
Pinguia terga boum; rabidâ fremit obuius irâ
Exſultatq; iubis, atq; horridus exſerit vngues;
Exſpectant pauida, muto paſtore, iuuenca,
Quam rabies animam, quos inuaſura ſit armos.

24. Talibus Herodes dum curis angitur, & quem
Omnibus ex pueris vicinia nutriat hoſtem,
Ambiguus multâ cum ſuſpicione volutat:
Paruulus ingreditur, famulo ductante, Polites,
Tertia quem vix dum ſuperata reliquerat æſtas,
Sera patris ſoboles, natuq; nouiſſimus Infans.
Sueuerat ille ſeni formoſus, hiante labello
Oſcula ferre patri, dictoq; recedere ſalue:
Tunc facturus idem. Neq; Rex, quamquam antè ſtetiſſet
Torua tuens, potuit venienti occurrere toruus:
Sed mulcere manu, vultuq; fauere ſereno

Promtus in agnato ſe patrem ſanguine ſenſit.
Excidit ira prior, noctisq; metusq; recentis
Immemor, à pueri didicit manſueſcere vultu.
Vtq; data infanti eſt abeundi copia, vidit
Purpuream à tergo chlamydem, limbosq; rigenti
Conſpicuos auro; & flauam diademate cingi
Cæſariem, ac plenis pendere monilia baccis:
Nec deerat manibus ſceptri geſtamen eburni,
Quod dederat nuper, puerilia ludicra, nutrix,
Ludicra, ſed vertenda breui in ioca ſeria fletu.
Nam viſa Herodes *excitus imagine, ſecum*
Continuò, (nouus Eumenidum *furor intus agebat*
Continuò:) ſatis eſt, nec inani ludimur vmbrâ.
Deprenſus puer eſt: patuêre ænigmata. Noctis
Monſtrârunt toties quem ſera crepuſcula, gnatus
Is meus eſt. Miſero quid patri denique reſtat?
Ah meus eſt: agnoſco manus, chlamydémque rubenti
Murice fulgentem. Simili ille refulſit in oſtro:
Ille comam ſimilem, ſceptra ille ſimillima geſſit.
Prô ſuperi! men' ergo meus diademate ſanguis
Exuet? & patria puer inſidiabitur aula?
Quid monſtri fortuna paras? Ego callidus extrà
Plebeios vaſtare lares, ſuſpectaq; capi
Formidare domûs aliena limina: Regni
Cognatis fuerat quærendus in ædibus hoſtis.
Ipſe mihi inſidias genui pater; ipſe cauebo

Qui

Qui genuit. Proles abſoluet cæſa parentem.
Non Chalybum ſi mille iugis vallata reſiſtat,
Aut Solymis teneat media in penetralibus arã,
Vitabit moritura patrem. Sic fatus Achillam
(Infelicis erat pueri moderator Achillas)
Maturare iubet perituri fata Polite.
Reſtitit hic, & abire negat: ſed abire negantem
Cogit abire ferox. Abeuntem vt denique vidit,
Mitior ire vetat. rurſum vt ſubſiſtere ſenſit,
Rurſus abire iubet; rurſusque moratur euntem.
26 Qualis Biſtonio pinus Rhodopeïa nutat
Fixa iugo, quoties dubij in contraria venti
Bella ruunt; vnaque Eurus Boreásque ſonanti
Agmine confligunt; dubitantque cacumina ſiluæ
Cui vento parere velint: huc pinus & illuc
Diſſidio raptata cadit; modò vertice læuam
Prona ſalutat humum, modo dextrum flexa recumbit
In latus, & tota inconſtans à ſtirpe vacillat.
Sic varius nutat dubiâ ratione Tyrannus;
Et, quid, ait, maleſanus ago? Iugulabitur Infans?
Et Puer & meus eſt: Titulus ſeruare Politen
Alteruter, vel vterque iubet. Defendere neuter
Imo iubet. Docui iam poſſe occumbere ferro
Et Pueros, & poſſe meos: Quamquam ergo Polites
Et Puer, & meus eſt, titulo damnatur vtroque.
At nondum ille nocens! Ideò cadatur: in ipſo
Ne videam fieri cæſo genitore nocentem.

Nondum anni nocuiſſe ſinunt! Scelus impedit
 ætas!
Iam nocuit, quicumq; poteſt aliquando nocere.
Aude aliquid genitor: tuq; irreuocatus, Achilla,
I propera, atq; abſoluę patrem. Detrectat Achil-
Imperium ferale ſenis, facinusq; cruentum (las
Abnuit; ingenio potius moderanda Tyranni
Iuſſa ratus: puerum metuente à matrę Politen
Amplectenda patris placandi ad genûa reducit
Ignarum, ſi forte rudi præcordia linguâ
Molliat, aut riſu properantia fata retardet.
27 Ingreſſum, & palmas (ita ductor iuſſe-
 rat) ambas (cantem,
Tendentem, dominumq; iterum Patremq; vo-
Non tulit Herodes: cædisq; oblitus & iræ
Protinus, in gremium, paſſasq; admiſit in vlnas.
Sicut, vbi Phrygius palmis arctârat auitis
Aſtyanacta ſenex, animo vaneſcere ſenſit
Mille rates Danaûm: nulla obſtrepuêre phalãges
Manibus, & patria nuſquam occurſabat A-
 chilles:
Omnis in adſpectu requiêrat cura nepote.
28 Vt tamen in chlamydem pater ora ſub-
 inde retorſit,
Confeſtim Furiæ, regniq; pericula totum
Eiecêre Patrem. Redeunt meditata nocendi
Conſilia: & laqueum geſtata monilia præbent.
Ergo manum iugulo lactenti accommodat ipſe,
Iniectamq; iterum perterritus ipſe remouit:

Idq;

Idq; iterũ, atq; iterũ. Donec, facto impete, victor.
Tandem, ait, audendum eſt, ignauia lenta quid hæres? *(lo*
Vince manum. Simul hæc, ſimul ipſa monilia col-
Implicat inſonti, inguloq; adſtricta coarctat.
29 *Principio ridere Puer, neq; ſeria cladis*
Signa putare ſua. Sed vbi anguſtata coiuit
Faſcia, & excluſit vitales faucibus auras:
Tum pedibus trepidare tener, clauſumq; negata
Quærere vocis iter, tum colli vincula vanâ
Extricare manu, triſtiq; reſiſtere nodo.
Vtq; nihil valuêre manus, elanguit oris
Cum candore decor, tumuerunt ſanguine venæ,
Et liuento genas ſubijt caligine nigror,
Perq; oculos aurésq; cruor narésq; cucurrit.
Nec tamen incepti pudor impia pectora mouit,
Durat adhuc, pergitq; animæ præcludere ſæuus
Spiramenta pater, faucésq; potentius arctat:
Donec in immiti complexu deniq; fecit
Vt ſibi vita viam, eliſoq; è corpore ceſſit.
Omnibus extemplo fugit calor artubus omnis.
Succeſſitq; gelu: iacuit pulcherrima ceruix,
Marmoreæ cecidêre manus, hæsêre lacerti,
Riguêre pedes, oculis extincta duobus
Gemma duplex, ſquallor capitis turbauit honorã
Cæſariem, & nuſquam agnouit ſua forma Politen.
Vt ſi quà Hiblæo *vagus hoſpes oberret in horto,*
Florida regna terens, greſſuq; licente decoros

Interimens flores, Violamq; thymumq; roſamq;
Et calcata premens neglecto lilia paſſu;
Nobile germen obit: ſparſoq; beata grauatur
Forma luto, & nulli iacet agnoſcenda colono.
At regina, mali quamuis ignara, requirit
Amiſſam ſobolem; Vacuamq; Vagata per aulam,
Omnibus in famulis orba ancillisq; moratur.
Triſtè ſilent omnes, ſilet ipſe rogatus Achillas,
Dum cauet infauſti ne fiat funeris index.
Iam caligo diem tenebris obduxerat atris,
Cùm lacrimas curasq; parens defeſſa remiſit
Deniq; & in ſomnum non ſpontè ſoluta, quieuit.
Hic oculis Vix dum coëuntibus, ecce, repertum
Vidit adeſſè, ſuum notâ cum Veſte Politen,
Non roſeum, velut ante, genis Vtroq; rubentem,
Nec riſu facilem: ſed opertum ſanguine multo,
Et facie ſquallentem, & Vix à matre Videndum.
Cui prior ipſa, Redis tandem, ô mea maxima,
dixit,
Cura redis? Ecquis peregrino ſchemate mutat
Ora decora color? Simul amplexura Politen,
Eluſo tenuem complexu fertur in Vmbram.
Terq; ſinu inuitat genitrix, ter ſenſit inanem
Eſſe ſinum. Quò ſemper abis, ait, Vnice? matrem
Nate cupite Vides. Rurſum Vtraq; brachia tēdit,
Vtraq; ſed Vano complexu brachia rurſum
Luſa Videt. Tandem ipſe, Parens, ait, oſcula nato
Sera paras: Vacuam preſſas ſine corpore formam,
Et manes à morte meos. Iam nulla caduca

Gau

Gaudia me vita, nec ſpes ſolantur inanes.
Et ſceptri puerile mei geſtamen, & auro
Intertexta tuo ſordet mihi purpura: pro me
Deſine mortales, mater mea deſine, curas.
Ne fruſtra crucière tamen: Non horrida rictu
Me fera, nec caſu rapuit fortuna ſiniſtro;
Sed pater ipſe manus violentas attulit, ipſe
Nexuit inſonti baccata monilia collo,
Et fauces laqueo precioſo fregit anhelas.
Accelerata tamen nihil obfuit Atropos: *aula*
Quæ patriæ ſublata per It mihi portio, regno
Elyſiæ eſt penſata plaga. Tu quærere prolem,
Et plorare parens perituro murmure ceſſa,
Aeternumq́ vale. Nec plura locutus, in auras
Ocius excita puer à genitrice receſſit.
31 *Inſequitur clamore fugam Regina,* Politen
Ingeminans, oculoq́ locum vigilante per omnem
Circumiens, nati veſtigia vana requirit,
Materniq́ ſinûs deplorat damna: furensq́
Multa ſuper formâ queritur, ſuper indole multa
Pignoris amiſſi: nunc vnum accuſat Achillam
Ductorem pueri; nunc imputat omnia matri
Infelix; nunc tota minis, & inanibus ipſum
Vocibus Herodem, *non exaudita, flagellat.*
Talis erat, quando Nemeæa *per arua cupitum*
Inachios *ductura duces properarât ad amnem*

Lemnias, herboſiq; infantem in ceſpite cliui
Incuſtoditum malè cauta locârat Ophelten.
Quem ſimul infuſo ſerpentis frigore vidit
Occubuiſſe redux; immenſo tota Pelaſgum
Turbauit clamore nemus: pectusq; genasq;
Inſontesq; manu cœpit conuellere crines,
Vipereoq; furens conuitia dicere monſtro.

32 Non tacuit feſtina procul traducere dirũ
Fama nefas: ſed Carpathij trans æquora Ponti,
Tænariumque latus, Delonque & Phocidos arcem
Extulit; Ægeumq; vltra; Cyproque Samoque,
Et tacitis incerta volans memorauit Amyclis.
Quin adeò fines eadem tranſgreſſa Sicanos
Ad Capitolinas penetrauit nuntia ſedes:
Auſoniæ moderator vbi ſimul audiit Aulæ
Factum horrendum, immane Patris; Quem barbara morem
Terra Palæſtinis permittit gentibus? inquit:
Non parcit propriis patris inclementia natis,
Parcit vbi vetulis populi indulgentia porcis.
Inde diu attonitus, ne ſe natura moneret,
Extimuit: refugo ne ex ſole reducerèt vmbras
Pænè Thyeſteis æquata inſania cenis,
Aut Pyrrhæ ſpectata ſemel, ſpectanda redirent
Secula, communem terris iterantia cladem.

33 Nec formido minor Iudæas terruit vrbes:
Omnibus occurrunt odio male nota recentis
Betlhlemitæ lamenta plagæ. Neq; poſſe putatur

Par-

Parcere plebeijs, qui pignora cenſuerit fas
Sanguine creta ſuo, manibus ingulare cruentis.
Ergo ſuos alij (ſi quos habuêre nepotes
Lactis adhuc, & adhuc plena nutricis egentes)
Vrbibus emittunt pauidi; nemorumq; receſſus
Turribus anteferunt; laribusq; mapale ſuperbis.
Ne conſpecta nouas infantia ſuſcitet iras.
Vagitus alij lactentum, & clara laborant
Murmura, præcluſis aut ſuffocare cauernis
Aut alio (ne quà renouatum murmura Cunis
Exaudita creent odium) celare ſuſurro.
Sic Phrygios *quondam memorant arcana* Curetes
(Si qua fides famæ eſt) Iouis *incunabula parui*
Vt tegerent, Saturne, *tuas aut ære ſonoro*
Aut buxi impediiſſe canis ſtridoribus aures.
34 *Quin etiam cano viſendos vertice iuſſit*
Ira ferire Senes, *quotquot male fida trahebat*
Suſpicio, ſocias arcana ad bella rebelli
Cum Puero *iunxiſſe manus: Et ſexus & Ætas,*
Plebeſq; Proceresq; minis patuêre. Sed vnus
Ante alios omnes Simeon *obnoxius: ille*
Ter felix Simeon, *qui poſt quàm funera feſſus*
Inſtitit emeritis expoſcere debita Canis,
Audierat, non ante necis ſperanda cupita
Otia, quàm cælo data parturiente, Tonantis
Pignora, virgineis geſtata videret in vlnis.
Inde dies noctesq; ſenex intentus, aiebat
Ocius hâc oculis promiſſâ luce potiri.

Deniq; cùm Templi pius obſeruaſſet ad aram
Centenas properare nurus, centenaq; Matrum
Munera porrectio mutari turture; Vidit
Vnam alias inter radiis ardere puellam,
Atq; alios inter Puerum ſtellantibus Vnum
Inſignem facibus; gemino quem Virgo redemtum
Inſtiterat caſtæ pullo mutare columbæ. (mnes
Hic Simeon (cognorat enim) penetrare per o-
Obſtantum Cuneos, populo cedente: proculq;
Exclamare; Meis ſinite hanc ambire lacertis
Progeniem: hæc Vlnis debetur ſarcina noſtris.
Ac ſimul Infantem, genitrice lubente, receptum
Oſtentat populis: templumq; per omne triũphat,
Multa ſuper Puero memorans: & Triſtia lætis
Mixta canens, magnæ Pueri ſubeunda Parenti.
Diffulit extemplo Solymorum fama per Vrbem
Omnia dicta ſenis, cauto ſuſpecta Tyranno.
Qui metuens, linguam ſenis omnem exſcindere
Fatidicam, & nocnos iuſſit trũcare lacertos (ferro
Et geminas vtrimq; Vlnas, quibus ille rebellem
Fouerit infantem. Iam miſſus abire ſatelles
Cœperat: hic nigrum querulis ex ædibus agmen
Ipſius Simeonis iit, functumq; per Vrbem
Non illaudato produxit funere vatem.
Nam pia Venturas tranquillâ morte, Tyranni
Præuenit Natura manus. Fremit impius, illam
Herodes fugiſſe ſuo ſine Vulnere Vitam:
Accuſatq; leges hec Vno crimine Parcas,

Quæ

Quæſiti ſenium Simeonis *triſte furori*
Subductum rapuiſſe ſuo. Quamquam ipſe ferire
A tali optaſſet gladio, totoſq; ſenilis
Verticis Infanti *dilecto impendere* Canos.

36 *Silua fuit denſis circumdata ſentibus, in-*
Aërijſq; obſeſſa iugis; vbi Sirius *ardor* (*gens,*
Obluctante gelu faſtigia ſumma laborat
Meſſibus in medijs, canâ ſpoliare pruinâ.
Hinc gelidæ valles, vmbræq; & limpida fontis
Vnda per informes multo ruit obice rupes.
Vatibus (*vt perhibent*) *erat hæc fidiſſima quondã*
Hebræis *ſtatio; populi quos ira proterui,*
Aut Regum quandoq; furor violentus adegit
Abſtruſas nemorum terræue ſubire cauernas.
Ipſe etiam, qui pauper oues prædantibus vrſis
I*nerat ereptum, fuluiſq; leonibus audax*
Reſtiterat, cùm Saulis *opes vitaret, in illis*
Rupibus, & ſiluis horrentibus exul agebat.
Huc cum prole parens Ioanne *profugit* Eliſa,
Regis Idumæi *metuens: qui ſæuus ephebum*
Sæpe Zachariaden *paribus quæſiuerat armis.*
Ereptum texêre tamen matura parentis
Conſilia, & profugis ſpelæa reperta colonis
Saxa inter monteſq; feros. Quis ibi omnia ſiluis
Abdita, & humanos longè fugientia viſus,
Illius & pueri, & matris miranda beatæ
Commemoret? Tu, ſi qua iubes memorare poë-
tam,
Ipſe puer, puerìq; parens effœta, docete.

37 *Quà iuga in* Arctoos *protendit ſumma* Triones
Horrendum ſilua nemus, hac lactentis ephebi
Venerat extorris genitrix. Vtq; agra reſedit,
Ecce fatiſcentes exeſa in rupe cauernas
Faucibus anguſtis, aditug; voraginis arcto,
Conſpicit. Intus erant laqueata cubilibus antra
Grandibus, & viuo fabricata ſedilia ſaxo,
Et ſpecies non vana domus. Ibi vena ſtrepentis
Diues aqua, nullâ ſibi fecerat arte canales,
Sed modico collecta ſinu, qua parte redundat,
Occultos abſorpta ſoli rurſum intrat hiatus.
Nec deſunt arbuſta loco, piceaq; cedriq;
Aeriæ; cæli quas ſuda crepuſcula ſemper
Vel liquido rore vbertim, vel melle tenaci
Inficiunt, ſtillisq; ſolum omne cadentibus vngũt.
Hos ſtatuunt optare lares; languente Tyranni
Turbo Palæſtini *dum tempeſtate quieſcat.*

38 *Vix primos ibi* Eliſa *dies, & menſtrua Luna*
Tempora complerat, cum pluribus anxia curis
Aerumnasq; loci iam detrectante Senectâ,
Occubuit mater, mediisq; in montibus vnum
Emoriente ſinu puerum complexa reliquit.
Succeſſit fugiente tamen pro matre miniſter
Aetherius: paruoq; dapes prouidit alumno,
Nunc ab arundineis ſtillantia mella myricis,
Nunc menſæ tenues in condimenta locuſtas,
Nunc lymphæ pro lacte gelu. Sic alter, eremo

Ven-

Venturaq; fami docilem durabat ephebum.
39 Ac velut Abramides (quem de Nilotide ſeruâ
Suſtulerat Senior) dum teſqua per arida fugit
Extorris cum matre puer, neq; gutta leuanda
Paruit vlla ſiti, ſabulo in ſqualente reſedit,
Vltima conſumta repetens ſuſpiria vita.
Hic illi ſubitus miſerantibus ales ab aſtris
Adſtitit, optantiq; vda ſalientia petra
Murmura, manātes digito dedit indice lymphas.
Alitis vt vidit Puer ora genasq; manusq;
Cæſariemq; auro, veſtemq; nitere pyropo,
Hæſit in adſpectu rediuiuus imagine, & ipſam
Penè ſitim puer, & ſitis eſt oblitus liquorem.
Talis & hic orbo curator miſſus alumno
Stellata de ſede fuit: qui ſæpe clientis
Perdius adſtaret lateri, deſertaq; pernox
Excubiis tegeret ſæpe incunabula cuſtos.
40 Ille prior voces, meditataq; verba profarī
Edocuit, patriaq; elementa agnoſcere linguæ;
Ille dicare preces, ſuperosq; in vota vocare.
Et placidos mores, arteſq; addiſcere, non quas
Semiuir Aeacidæ conſueuit tradere Chiron
Barbara Cecropio præponens antra Lycæo.
Nec quas (vt memorant) Thebani fabula monſtri
Sueuit Echionio quondam diuendere vulgo
Perplexos commenta dolos: ſed qualibus ipſi
Cuticulæ indulgere ſolent, gaudentq; repertis

Bellis

Scilicet, occluſi quibus iret in atria cæli
Gens excluſa diu. Nec ad hæc erat indole ſegni
Complectenda puer; ſed magnis paſſibus ibat
Iam propior, iam penè prior ducente, Magiſtro.
41 *Vtque anni creuêre magis, licuitque vagari*
Siluarum per opaca, nihil peritura moratus
Gaudia, nec rerum commercia vana, nec Vrbis
Degeneres luxus, Parióue *è marmore turres,*
Aut imbuta Tyri *precioſo vellera fuco:*
Sed villoſa, pilis gibboſi texta cameli,
Endromis, *& caſæ pellita lacerna bidentis,*
Mundus ei muliebris erant, quo tectus, in illas
Totus habebat opes, quas exſpectata perennes
Mentibus æternùm melioribus Aſtra reſeruant.
Hoc ſtudium, ſeu fleret, erat; ſeu pectora pugno
Tunderet; è liquidi ſeu fortè crepidine riui
Fatales ſpectaret aquas, quibus ille Tonantis
Venturi tingenda ſibi fore membra ſciebat.
Hoc totum Ioannis *erat. Nec pectore clauſus*
Iſte tepebat amor; ſed in ignem erumpere iam tum
Cœperat; indicio, quantis ardoribus eſſet
Terrarum populos olim tracturus, vt Orci
Faucibus erepti, mutato ſidera calle
Quærere certarent. Hominum inde tot agmina plangunt,
Inde poſt gemitus, & ſuſpirantia cælo

Mur-

Murmura, dum crebri violentis viribus inſtant
Vim ſuperis afferre plagis perguntq; ſeratas
Oppugnare fores, repetitoq; ariete pulſant.
42 *Cælituum chorus ipſe, poli ſtatione relictâ,*
In ſilvas migrare frequens, ſtudiumq; clientis,
Et vitam, & mores propiori agnoſcere viſu
Geſtijt. Obſtupuêre omnes, & ſi qua daretur
Libertas, cuperent ad eandem vivere normam.
Quin ipſæ cœpêre feræ manſueſcere ſenſim
Hoſpitis ingenio, poſitoq; timore, vocatæ
Ad vocem venêre ſtatim, & ſua quæq; libenter
Ad ſpelæa gradu iuſſa didicêre reverti.
Hîc veram Orphei *felicis monſtra theatri*
Invenêre fidem: placidos ubi cerva leones
Iuxta impunè fetit, damiſq; oblita peperit
Tigris: & inter oves prædantum nulla luporum
Ingluvies metuenda fuit: tutumq; quieti
Siverunt leporem campis errare moloſſi.
Biſtonio *non illa quidem ſpectacula cantu*
Threiciæ *fecêre lyræ, ſed monſtra ferarum*
Integritas vitæ, & mens criminis inſcia traxit,
Ipſaq; vel rudibus veneranda infantia ſilvis.
Nec volucres ceſſêre feris. Quacunq; ferebat
Ille gradum, aërios certatim tinnula plauſus
Turba dabat, iuxtaq; frequens, ſupraq; ſonoros
Hinc fringilla modos, illinc philomela, canebat.
Sæpe, reor, mediis aliqua venêre relictis,

[illegible]

Inq; rudi luſère manu: nec ſenſit Acanthis
Vlla magis tutos alibi, nec alauda, penates.
43 Sexta ſuas frondes folijs pubentibus æſtas
Induerat, totidemq; albentia vellera ſiluis
Cana parârat hiems: Puero cùm fortè precanti
Adſtitit ille, oculis iam notus amantibus, ales,
Quem ſic alloquitur: Rerum ô dilecte mearum
Arbiter, & parui fidiſſime tutor alumni:
Nulla (fatebor enim) ſiluarum tædia mentem
Sollicitant: placet iſte meo mihi carceris error,
Et facies inamana loci: nec neſcio quales
Hæc inter nemorum deſerta reſeruer ad vſus;
Omnia nota mihi. Sed quis me caſus opaci
Egerit in ſpelæa laris, iam ſæpe requiro (ctum,
Irritus. Et quamquam ſcio non ſine numine fa-
Tu tamen ede modum, cauſſæq; exordia narra.
44 Dixerat. At vultu placidè adſpirante, renidens
Aliger; ô ſuperûm puer ingens cura tuorum,
Si veteris narrare fugæ primordia cogis,
Triſtia ſint quamuis, riſuq; carentia, pandam.
Vt coniurato cecidit ſtirps bima tumultu,
Vicinasq; nurus orbauit prole, Tyranni
Sæua Palęſtini rabies; tu fortè petendus
Herodi ſuper vnus eras. Reſciuerat ortûs
Admiranda tui: & profugi incunabula Regis
Vlturus, ſocias cupiebat plectere cunas.
Quippe recens ierat vicina per oppida rumor
Qualis in aeriis Iudææ montibus Infans,

(Nup

(*Non dubius quondam venturi anteambulo* Chriſti,)
Effatâ ſit natus anu, quem nuntius ales
In mediis templorum adytis, cum feſta cremaret
Tura pater, ſuetiſq; preces affunderet aris,
Iuſſerit impoſito Ioannis *nomine dici.*
Hîc ſtupuiſſe patrem, vociq; repente negata
Amiſiſſe ſonum, linguamq; hæſiſſe palato;
Dum nouies Luna decreſcere viderit orbem,
Atq; iterum toties in cornua ſumta reuerti.
Tunc ſubitas linguæ rupiſſe tacentis habenas,
Et pueri ſtudium, & mores memoraſſe futuros
Carmine fatidico: & Ieſſeia *regna* Sioni
Pollicitum reditura breui, quæ iure perenni
Dauidicæ *ſtirpis ſoboles æterna teneret.*
45 *Hîc iterum furiis* Herodes *actus, ademtas*
Continuò faſces, ereptaq; regna veretur,
Ni properet, primoq; vafer partû opprimat ortu.
At cautum nihil iſte furor, nihil iſta feſellit
Fama patrem: inſidiis vigilat quacunq; cauẽdis,
Teq; tuamq; domo clam maturare parentem,
Extremóſq; iubet nemorum tentare receſſus
Tantiſper. Latebras, duce me, veniſtis ad iſtas.
Hîc vobis abiêre dies, hîc omnia noctis
Otia, non inter niueis plumantia lecti
Stragula: ſed gelidæ ſubter laquearia petræ
Nuda fouebat humus: puluini mollior inſtar
Muſcus erat: Materna tibi de more ferebant
Vbera ſola dapem, atq; eadem tibi ſola liquorem.
Sed

Sed matri vel palma nucem, vel agreſtia pomum
Poma dabat, laticem hac vicini marmoris vnda.
46 Lauta vel hac poterat fugitiuis menſa videri,
Dummodo tuta foret. Nam Regia turba penates
Vt vacuos, profugo patrem ſine pignore vidit,
Admoto ſcrutata metu: Quò fugerit infans?
Quæſierit quæ tecta parens? Quibus occulat antris
Funeſtam regiq; facem regnoq;? Fateri
Plurima cunctátem, pars crebro verbere pulſant,
Raptatúmq; inter medij penetralia Templi
Atque altare necant: pars ſicut odora canum vis
Abſtruſam indagant ſua per veſtigia prædam.
Iamq; adeò nemoris diuortia quæq; remenſi
Trans ipſos abière ſpecus primiſq; propinqui
Faucibus, hærentem (niſi mens cæcata fuiſſet)
Matris in amplexu poterant deprendere prolem.
Sed ſuperi ſepſère viam; luſoſq; Tyranni
Irrita tonantis non admiſère miniſtros.
47 Mox alij ſubière metus. Nam clara fugârat
Cynthia nocturnas bigis pallentibus vmbras:
Hic letheæ phalanx (Satyros Faunóſq; vetuſtas
Et Dryadas decepta & Oreadas eſſe putârat.)
E ſtygijs emerſa focis, loca nota reuiſit,
Concilium infelix. His cætus quippe cauernis
Cogere conſuerat legio Plutonia, quando
Aut humana dolos meditari in damna recentes

Viſum

Viſum erat, aut ſeriem penſi memorare diurni
Longius: Heroas factâ quot quiſque ruinâ
Strauerit, aut quãtas in cladem turbæ futuram
Struxerit inſidias, laqueosq; tetenderit orbi.
Ah quibus hîc illi, & quantis riſêre cachinnis
Eumenidum cum prima ſoror, longo ordine du-
Rettulit heroïs Ieſſæi crimen? Vt illum (plex
Impulerit vetito conuertere lumina motu
Funeſtas ad Aquas: vbi viſam expoſcere formam
Cœperit, & ſubitos per lumina traxerit ignes.
Ille quidem furto miſerè gaudebat: at iſti
Ignarum fecêre iocos. Atq; altera cædis
Materies adiecta fuit, quà iuſſerat idem
Coniugis ereptæ, ferro conſumere (primis
Hoſtibus obiectum, & meritum meliora) mari-
tum:
Hei mihi! quos illâ plauſus in clade dederunt?
48 At maiore locum mox impleuêre tri-
umpho, (luptas
Cùm victum (horreſco referens) Solomona vo-
Traxit, & illecebris incautum mille feſellit.
Quantus enim, ah quanto datus eſt è culmine
præceps?
Admiranda prius patrio qui Templa Tonanti
Arduus immenſâ fuerat molitus opum vi;
Atq; Arabum effoſſum venis locupletibus aurũ,
Argentiq; graues immania pondera laminas,
Atq; exhauſta frequens Themeſæis æra fodinis
Omnia, certatim in Solymam congeſſerat Aedẽs
Poſt

Poſt autem, vt captum Cocytia *mõſtra profanis*
Implicuère toris (nam tadis mille iugales
Iuerat in thalamos, Hymenęis *mille ligatus)*
Infelix delubra Ioui Veneríque *dicauit,*
Et Stygias *coluit, vaniſſima numina, laruas*
Stultus; adorato, fieri quod iuſſerat, auro.
Hæc vbi nocturno Furiarum *maxima cœtu*
Artibus acta ſuis, narrauerat, omnia circùm
Hæc Acherunteo *ſonuère cacumina plauſu.*
Centum *exinde dies, totidemq; ea gaudia noctes*
Hoc egère ſpecu, ſemper Solomone *vocato.*
Numquã aliâ gauiſa magis ſunt Tartara *prædâ.*
49 *Huc de more cohors eadem remeauerat, illis* *(trum.*
Noctibus, hoc primis genitrix quibus attigit an-
Aduentum ſenſere feræ, ſtabulisq; relictis
Intima deſerti petière cubilia luci.
Exoritur longeq; fragor; lateq; ruinam *(tur.*
Vnam omnes montes, vnam omnia ſaxa minan-
Inſequitur formis acies informibus ingens,
Capripedum pleriq; genus, pleriq; recuruis
Vnguibus, infeſti cornutis frontibus omnes.
Hi veteres antri latebras velut agmine facto
Inſultare parant, caueamq; inſidere monſtris.
At ſimulac habitata loci ſpelæa colonis
Attoniti vidère nouis, & adeſſe paratam
Arcani cuſtodis opem, (nam limina præſens
Munieram cuſtos) illi retro ocius acti
Per diuerſa ruunt, noctemq; vlulatibus implent.

Idq;

Idq; aliis alijsq; iterum de noctibus auſi,
Sunt iterum atq; iterum me propugnante repulſi,
Aeternoq; locum vitare timore coacti.
Talia ſexenni cuſtos memorabat alumno.
Ille ſtatim: ſi cauſſa mei ſunt iſta receſſus,
O bone tutor, ait: liceat, per ſi quid amaui
Te colui q;, patris deſerta reuiſere tecta,
O liceat! mora nulla viae eſt; permiſeris, ibo,
In medium penetrabo fors, cupiamq; videri.
Quid miſerum Herodis *tot in annos differo votum?*
Quæſitum inueniat tandem caput. Hauriat omnem
Dum Domino parcat, famuli è ceruice cruorem.
Dixit. At ille, meus, puer ô, ait, intime curis,
Parcius iſta velis. Non hac ſunt vltima fatis
Tempora pacta tuis: fieri neq; crimen ab vno
Omne Herode poteſt. Venient Natiq; nepotéſq;
Illius, & patrem in ſcelerum certamine vincent.
Ex illis tibi certus erit, ne quare, tyrannus.
Iam video, quid quina tibi poſt luſtra minetur
Improbus, & thalami fraterni inceſtus adulter.
Tu ne cede minis, ſed flagitioſa coërce
Connubia, & nullo coëuntes auſpice tadas
Rumpe frequens. Dabitur quondam indigniſſima merces,
Carcer. At aratis libertas vincta catenis
Stabit adhuc; manibusq; licet pedibusq; ligatis,
Herodi *ſeruire tamen ſe lingua negabit.*
Macte nouâ virtute puer! ſic ſæpe tonantem

Au-

Audiat Herodes,*prauóq; à tramite rectum*
Ad leges cõuertat iter. Sed enim improba Dipſas
Turbat opus, video. Video Sybaritica *regum*
Barbarico dudum conuiuia feruere luxu:
Et feſtas quæ forma dapes laſciua profanet
Hebrææ *Veneris. Superi, hanc arcete puellam*
Vnà omnes mecum, ſceleriſq; auertite prolem!
Alternum facit ecce pedem, ſaltúq; ſalaci
Faſcinat infauſtæ ridentia Sigmata menſæ.
Quàm vereor miſerande puer, quo fabula tēdat!
Ecce repente caput, caput à ceruice reſectum
Elatá fertilla manu. Ceſſa improba, ceſſa,
Iam ſatis. Hæc fatus medio ſua verba reliquit
Imperfecta ſono. Stupuit puer abdita rerum,
Ignarus quid, quæq; forent. Tamen omnia certus
Conſilio ſtabilita Dei, nil quæ ſit vltrà,
Quæ vitæ præuiſa forent euenta futura.

Finis Libri Secundi.

B. STANISLAO

CASTISSIMO. ADOLESCENTI

QVEM

EX. ILLVSTRI. DOMO

COSCARVM

IN. SOCIETATEM. IESV

ADLECTVM

INNOCENTIA

COELITIBVS. LAVDANDA.

NOBIS

IMITANDA. CERTE. ADMIRANDA.

DD. INNOCENTIBVS

MERITO

SOCIAVIT.

HOC

DE. IISDEM

TERTIVM. VOLVMEN

DICAT. DEDICAT

AVCTOR.

HERODIA-DOS

LIBER TERTIVS.

INterea tectis dum LVCTVS *in omnibus errat,*
Inq; orbas Lamenta *domos iterata recurrunt,*
Occiſi rapuère viam per inania manes
Vmbrarum nemora, & vacuis ambagibus acti.
Elyſios *venère ſinus: vbi feſſa piorum*
Agmina, perſtabant certantibus irrita votis
Sidereos optare Lares. Huc quippe migrârant
Poſt alios alij proceres: vt quemq; Senecta
Extulit, aut praeceps potuit mortalibus oris
Exturbare lues. Hos inter honeſtior vnus,
Ibat Abelus, *is qui longior hoſpes in arvis*
Egerat, ex vmbris inſons magis omnibus vmbra.
Fœdere nam rupto immeritum cognata peremit
Dextera, cum tonſas ad paſcua prima bidentes
Infelix ageret. Nondum illi flaua capilli
Cæſaries, necdum vegeta durata iuuenta
Robora deſierant, cùm tabo liuidus atro
Tempora percuſſum nodoſo ſtipite frater
Suſtulit. Hunc iuxta graditur, quem Poma *no-(centi*
Carpta manu fecère reum, & felicibus inde

Ex-

Extorrem iuſſère procul diſcedere campis.
Nondum illi erepta iactura miſerrima ſortis
Excidit: hæret adhuc vetita ſapor Arboris; *hærent*
Viperea malè ſuada (eheu!) mendacia lingua,
Exul ad amiſſos dum fruſtra reſpicit Hortos.
2 *Proximus errabat* Senior, *qui vaſta phaſelo*
Aequora; & immenſas ſine remige vicerat vndas
Omnia diffuſo cùm merſa cacumina Ponto,
Monteſq; ſcopuliq; vrbeſq; arceſq; natarent
Nauifragæ, & pecudum genus omne hominumq; refuſis
Præcipites, vltore Deo, raperentur ab vndis.
Ipſe frequens memorabat adhuc quos æquora fluctus
Excierint; quantos glomerârit Aquarius *imbres,*
Vt fremitu Boreas, Eurusque Notusque *pauēdo*
Impulerint nubes; quibus altum merſerit vmbris
Nox effuſa diem. Memorantem talia, Patres
Attoniti, & nati natorum, & tota nepotum
Agmina circumſtant; tempeſtatisq; procellam
Præterita, tamquam præſentibus ingruat, horrent.
3 *Ille igitur pòſt quàm properata tot vndiq;*
Millia lactentum, ſociis accedere turmis: (ſenſit
Non aliter, quàm ſi grauidis è nubibus imber,
Aut denſata niuis glomerentur vellera, currit
Obuius, &, magnæ fuerit quæ cladis origo,
Anxius explorat. Nec enim numeroſius, inquit,

Vnâ eâdemq́ via deſcendere vidimus agmen.
An vi ijs iterum cogentibus, omnia pactam
Ruperunt elementa fidem? cælumq́ ſolumq́
Omne ſuperfuſis complerunt æquora lymphis?
Dicite progenies mea, dicite, naufraga certè
Signa videmus, ait. Simul hos complexus & illos,
Interius nemoris vocat in penetrale: frequentes
Ceteri vbi manes, & auorum turba colebant.

4 *Incipit vna omnis Puerorum Contionullis*

O genitor, nullis vndarum huc fluctibus acti
Naufraga turba ſumus: ſed ſanguinis imbre madémus (mus;
Quiſq́ ſui. Hæc omnes. Reliquum pertexuit Hæ-
Hos viden', & viden' hos? Caput omnibus abſtulit enſis;
Omnibus his mucro iugulos; his omnibus hauſit
Pectora: in hos omnes aut eſt incuſſa bipennis,
Aut illiſa pedum veſtigia. Tegula teſtam
Verticis effregit; penetrauit in ilia ferrum.
Hos preſſêre ſudes; hos fixa peremit arundo,
His impacta cauos pulmones vngula rupit
Quadrupedū, arctatoq́ animas è carcere truſit,
Deniq́ quid querimur? non hic pater vlla Syro-
Perſarumue *vides collatis edita ſignis* (rum
Funera; ſed noſtri nos ira domeſtica regis
Perdidit inſontes. Odij cauſſa omnibus vna,
Omnibus vna necis: Quam nūc agnoſcere functi
Cœpimus, (& veſtras dudū quoq́ venit ad aures.

Nuntius) in viuis nec cauſſa, nec ira liquebat.
Quippe timet ne regna puer, (puer, ô bone! magni
Progenies æquæua patris,) quem Virgine *natum*
Nuper, & heredem Ieſſeia *in ſede locandum*
Audierat, pulſo peregrino rege capeſſat.
Inde furor. Deluſa tamen ſunt arma furentis,
Effugitq; puer. Fugiatq; ô ſoſpes, & hoſtem
Terreat, oro, puer. Nos ſuccidanea facti
Victima pro Puero *gladios excepimus illo.*
Atq; vtinam plures gladios hebetare puſilla
Ceruice, & plures puero illi impendere vitas
Fas foret, hac vnâ placuiſſent funera cauſſâ.
5 *Nondum ea finierat, cum patrum excita ſubinde*
Adſtantum ſeries venientibus ingruit vmbris
Obuia, & effuſo tacitarum murmure vocum
Felices animas ab honoro funere laudat:
Atq; eadem mox quiſq; cupit (ſi rurſus ad auras
Vitales referetur iter) ſibi fata paciſci:
Nec nulli ex ipſis manes exempla decora
Aemula mortis habent. Puerum ſe propter eundē
(Exſpectadus adhuc quam quã puer ille latebat)
Pars memorant auidis itidem iacuiſſe leonum
Rictibus expoſtos; liquidis pars amnibus hauſtos,
Pars gladio cæſos; lento pars igne crematos,
Fatidici pleriq; ſenes. Quos inter, aduncis
Gaudet Amoſiades *altè prætendere* Serram
Dentibus informem, ac tabô ſtillante madētem;
Quâ laceros immane genus ſulcauerit artus.

Inſonti, letoq; trementia membra biformi
Huc raptârit & huc: ſeri quòd præſcius aui
Monſtraſſet, grauidâ venturam à virgine *prole,*
Iura Palæſtinis *quæ numquam abolenda Tyrannis*
Diceret, ac populos hæres æterna teneret.

6 *Geſtijt hîc etiam venienti occurrere turbæ*
Helciades, *fœtâ quem nondum à matre cadetem*
Iam vatem ad populos, & grandia nomina Reges
Miſerat omnipotens, vt iuſſu perennia certis
Panderet indicijs. verène ego præſcius, inquit,
Hanc proauis cædem potui monſtrare futuram?
Et viduas memorare domos? Ah talia nôram
Funera, & orbarum audieram lamenta parentum,
Antè diu, veſtris quàm nota parentibus eſſent.
Non impunè meis tamen hæc oracula fudi
Ciuibus. Immeritum plebes incredula vatem
(Ebria ceu quondam Lapitharum *pugna furentum*
Ferueret) infeſtâ ſaxorum grandine merſit.

7 *Fortè pares Iuuenum medijs in vallibus vmbra,*
Exigui numero, ſed amico fœdere manes,
Errabant: quorum veſtigia mater honeſto
Pone ſecuta gradu, nuſquam intermiſſa legebat:
Hos procul Helciades *vt contemplatus, eorum*
Et genus, & ſeptem, generis miracula, fratres
Rettulit: heu, quantis iactati caſibus, inquit,

Hunc

Hunc iſti venere locum! dum regia quondam
Antiochi *renuunt mandata faceſſere, ſanctis*
Mandere cùm vetitas iuſſiſſet legibus eſcas!
Cernitis illum aliȷs quiplùribus eminet? Ignes
Ipſe prior, morſuſq; ferox contemſit ahena
Forcipis, *abſciſſæ caderent cùm fragmina palmæ*
Avulſiq; pedum digiti, *& truncata cruentum*
Vbertim terris pluerent Metacarpia *rorem.*
Rurſus vt exſertam iuſsit protendere linguam
Tortor, ab ingenuo non territa Lingua *palato*
Spontè ſuam in cladem pro libertate tuendâ
Proſiluit, vocemq; libens in vulnere liquit.
Et quamquam vulſo ſenſit de vertice totam
Defluxiſſe Cutim, *& lacera ſtridentibus* Ollis
Membra coqui, & viuum poſitâ Sartagine
volui
Corpus, & ardentes infra excandeſcere prunas:
Degener ex oculis numquam tamen excidit hu-
mor. *(honeſtas*
8 *Hac eadem paſsi fratrum alter & altero*
Oppetiere neces. Quemq; omnibus ire minorem
Cernitis, heroa generoſum mentis ephebum,
Omnibus is grauiora tulit: Iurata tyranni
Munera, & obiectas, mentem ſi flectere vellet,
Aſpernatus opes, vltroq; laceſſere diros
Carnifices auſus formidatumq; giganti
Supplicium ridere puer. Puer indole magnâ
Perge per Elyſios *felix decurrere flores.*
Quà Violas Calthaſque *teres, pubeſcere* Calthę

Cōtinuò Violæq; *Volēt:* &, *quod* Roſa *nondū eſt,*
Id, cùm calce premes, tenero Roſa *ſub pede fiet.*
9 *Hic* Hæmus, *quaenam illa, inquit, quæ proxima fratres*
Septenos comitatur anus? Reuerentur euntem
Vnanimes, oculisq; obſeruant ſæpe retortis.
An genitrix his illa fuit? Sed fronte ſeuerum
Neſcio quid, ſexumq; ſupra monſtrare videtur.
Ipſa, ait, ipſa fuit. Superi quo fœmina cæli
Digna loco? Stabat natorum in funere mater
Spectatrix, ferrumq; videns ignemq; ſupinis
Artubus admotum, nihil auerſata refugit.
Nec fletu lenire feri præcordia regis
Fœmineo, aut precibus veniam conata moleſtis
Poſcere, ſed conſtans fumantibus vbera natis
Olim impenſa diu, primisq; data oſcula cunis
Commemorare parens, cælumq; oſtendere longe,
Et, per ego hæc, nati, per ego precor omnia, ferte,
Ferte breui mala dura morâ, facibusq; caducum
Indulgete latus; date forcipe membra tenaci
Impauidi carpenda; date, ò mea turba ſecuri
Cædendos in fruſta pedes: impendite cælo
Felices animas. Lucrum eſt, quod perditis. Ipſa
Sic partu fœcunda meo, ſic deniq; matris
Eſſe mihi titulis & imagine digna videbor,
Cui tales peperiſſe datum eſt. Neq; fortia ſolùm
Dicere, ſed paribus facta inſtitit addere dictis
Fœmina. In ardentes piceatis ignibus ollas
Iuſſa ſubire, ollas nihil indignata ſubiuit.

Ten-

Tendere iuſſa manũ, manũ vtrãq; repẽte tetẽdit,
Iuſſa pedes ferro feriendos ſubdere ferro
Subdidit: & quidquid morientibus antè ferendũ
Suaſerat, ad moriens, ferri poſſe, ipſa probauit.

10 Talia dum vates puerili multa corona
Alterni memorant; iterumq́; iterumq; recentes
Bethlemia de clade vident accedere turmas
Attoniti: extremâ puerorum è ſtrage Polites
Paruulus Herodis, natuq; nouiſſimus infans,
Agmina claudit. Adhuc pendere monilia collo
Credita: adhuc chlamydis ſimulata purpura ta-
Sparſa, nouercales in patre redarguit iras. (bo
Illum igitur manes ſimul agnouere, paternâ
Occubuiſſe manu, multis è millibus vnum
Circũſtant alacres, & amico murmure mulcent.

11 Forte ſolo propter viridi Ieſſeius heros,
Arrectas retinens intentis mentibus vmbras,
Flebile ludebat ſolitâ teſtudine carmen;
Quanta Iacobiaden olim iactârit ephebum
Per varios fortuna metus: vt liuida fratrum
Contio plorantem, & nequicquã multa precantẽ
Iam ſicco merſare lacu, iam prodiga paruo
Barbaricis venum dare mercatoribus auro
Sumſerit. ah miſeri, quis agit furor? vſq; adeóne
Dulce malũ eſt, odiò fraternum haurire cruorẽ?
Iſacides hic ſanguis, hic eſt quem venditis. Idem
Veſter hic, aut veſtri patris eſt (miſereſcite) sãguis.
Nulla illos mouêre preces, lacrimaq; decora
Immites acuêre animos: quam barbara vendit

Vile cataſta caput, tam vile eſt vendere fratrem.
Ne ſuſpecta tamen cano foret ira parenti,
Rem texère dolo. Picta prætexta lacernæ
Vellera, mactati fœdata recentibus hœdi
A maculis, misère patri. Silueſtribus illa
Eſſe reperta iugis: Syrios *vbi multa leones*
Silua alat, & prædâ ſint plena cubilia raptâ.
Iam, ne fortè puer luco malè cautus eodem
Hæſerit, eſſe metum. Laceros exploret amictus
Ipſe pater: norîtne ſuos? an fallat imago
Aemula, prætextam mentita ſimillima veſtem?
Non tulit adſpectum genitor longæuus, & hæc eſt
Me miſerum, hæc nati chlamys eſt. date nota parenti
Symbola; relliquias date chari ſanguine tinctas
Pignoris, agnoſco: fera bellua ſæuit, vngues
Noſco leæna tuos, aut vincere ſiqua leænas
Sæuior vrſa potes: Crudelibus vtere Parca
Faſcibus, atq; orbum meritas demitte ſub vmbras,
Exorata patrem. Grauis orba eſt vita ſenecta.
12 *Hactenus* Iſacidæ *lugubria fata nepotis*
Regius heroo memorarat carmine vates,
Vlterius ducturus adhuc, niſi viſa Politæ
Vmbra, repentino mutaſſet barbita motu.
Quippe nouus mentem calor impulit, omne Tyranni
Supplicium, & generis pœnas euoluere diri,
Quas pater, & nati natorum, omnisq; datura
Progenies Herodis *erat. Iubet ergo peremtos*

Vna

Vna omnes adſtare greges. Nec longa morati
Conuenêre pares, vatemq́ immenſa coronat
Contio. Vox illic lactentibus omnibus vna,
Numinis vltrices an ſumere dextera pœnas
Negliget: & ſolus ſublato vindice ſanguis
Noſter inultus erit? vates clamantibus obſtat
Mitior; &, dabitur quondam, mea turba, quod optas,
O, dabitur! nunc diſce breues, ait, vſq; furenti
Indulgere moras. Magno luet impia crimen
Aula ſuum. Viden' vt vacuo diſcedat hiatu
Subter humus? (Simul omnis humo dirupta receſſit
Materies, imaq́; Erebi *patuêre cauerna)*
Vt piceas agat atra palus Acheruntia *flammas,*
Et fumum per inane rotet? Timuere profundum
Attoniti ſpectare chaos, ſæuamq́; barathri
Colluuiem, vulgusq́; modis miſerabile miris,
Informes animarum vmbras, torrente citati
Merſas igne vadi, ſupráq́; ardere perenne
Sulfur & infamem procul exhalare Mephitim.
Intus Hydras *viuosq́; genus deforme, ceraſtas*
Sibila ſenſerunt candentibus edere linguis,
Perq́; omnes errare ſinus: ſemperq́; recenti
Pectora clamantum vexare nocentia morſu.
13 *Quod genus hoc hominum! ô vates, quæue huius origo*
Deploranda mali? noſtróne hac pœna Tyranno
Debita? an vſquã alio dignus cruciabitur igne?

Regius his contrà reſpondens talia vates,
Iſta palus, inquit, ſedeſq́; profunda nocentem
Exagitat turbam, quæ quondam infame pudẽdi
Criminis (excisâ naturæ lege) theatrum
Pentapolin *fecêre ſibi: quos ſulfure miſſo*
Altitonans, piceoq́; iratus ſubruit imbre,
Euertitq́; lares, & humo fumantia latè
Stagna ſuperfudit, veterem teſtantia noxam.
14 *Hîc alÿ, (quos flãma rogis ardẽtibus ambit,*
Amphoraq́; infuſo ſemper rigat ignea plumbo;)
Immodica conſueta gula conuiuia damnat
Serò nimis: gelidamq́; labris ſitientibus vndam
Irrita vota petunt: cum ſolo detur anhelum
Sulfuris igniti moderari plaſmate guttur.
15 *Hîc ſcopulos alÿ ſupra voluuntur acutos,*
Præcipitesq́; ruunt: iterumq́; è valle retracti
Alternas ineunt ab eadem rupe ruinas
Inſtabiles ſemper: Quos olim magna iuuabat
Quærere fortuna ludentis inania; quorumq́;
Aucupio captatus honor, peregreq́; petita
Gloria contemtu populum preſſere minorem.
16 *Proxima caſtra tenent, odÿs quos acribus egit*
Inuidia ſtimulante furor. Nunc, ecce, colubris
Vndiq́; perplexi roduntur edacibus omnes,
Perpetuumq́; omnes iteranda in vulnera durãt.
Rurſum alÿ, quos dira fames exercuit auri,
Atq́; alÿ, quos ira nocens, aut improba mentis
Vexauit rabies aut deſperatio verſas

In

In iugulum torquere manus pertaſa coëgit.
Singula quid mōſtrem noxarum ergaſtula' culpā
Quiſq; ſuam ſibi carcer habet, diſtinctaq; pœnis
Crimina ſunt; multisq; Vnus ſurit artibus ignis.
Ingenioſus in hoc, Vt facta doloribus aquet.

17 *Illa autem quæ turba? quis eſt candentibus Vndis*
Innumera cum plebe globus? nant ecce iugales
Flammiferi, reuomuntq; meros è faucibus ignes,
Euerſæq; ardente rotantur in amne quadriga.
Continuo Vates: Phariis *ea turba ſub armis*
Dum ſequitur populi profugas infeſta Phalāgas,
Vidit Erythreas *inopina recedere lymphas,*
Et geminos Vtrimq; Vndarum aſſurgere muros,
Et medio ſiccata pedum Veſtigia ponto.
Ergo ſubire audax, & equos bigasq; per alti
Gurgitis arentes agere improba cœpit arenas
Ipſa, nihil metuens. Iamq; æquoris intima ſicci
Attigerat, cum Verſa ſuis occurrere bigis
Aequora, conuulſisq; labantia fundamentis
Vndarum hinc atq; hinc decreſcere mœnia cernit
Oppleriq; Vadum, & nuſquam fugientibus Vlla
Littora, ſed longo Venientem à littore mortem.
Tunc trepidare cohors, magnisq; Vlulatib. Vndas
Fruſtra arcere: Ruunt ex omni parte procellæ
Deſuper, & currus inopino turbine Vertunt,
Excutiuntq; Viros, refluoq; inimica profundo
Arma rotant. Manes illo de gurgite pulſi
Hac in ſede luunt ſcelus, æternumq; iubentur

Infernos innare lacus: flammaq́ peruſti
Hæc agitant rediuiua ſui ſimulacra furoris.
18 *Non procul ecce alter piceo natat amne Tyrannus*
Niliacis *itidem qui faſcibus vſus, iniquâ*
Iſacias *matres cogebat lege, recentes*
Fluctibus vndarum in mediis exponere partus.
Aegypti *crudele nefas. Nunc ipſe rotatur*
Sulfureis immerſus aquis: ſemperq́ requirit
Littora, quærentem fruſtrantur littora ſemper,
Reijciuntq́ ſuas emerſum ſemper in vndas.
16 *Hic etiam rebus grauis infeſtusq́ ſecundis*
Sæpe meis, commiſſa luit: cui creber eburno
Pectine (veſanos agerent cum corda dolores)
Conſuêram placidam reuocare ſub oſſa quietem.
Vritur hîc etiam longæuis ignibus hoſtis
Ille, Palæſtinas qui princeps ante phalangas
Enſe ferox haſtaq́ minox, ſquamaq́ trilici
Tutus, in Hebræas *iaciebat probra cohortes,*
Monſtrum horrendum, immane, gigas. Sed funda gigantem
Exigui iactu ſilicis librata petiuit.
Ipſe, velut vento procera furente cupreſſus
Aërijs euulſa iugis, procumbit, & ingens
Arma ſuper clypeumq́ cadit. Ego protinus enſem
Eripio, victaq́ caput ceruice reuello.
20 *Iuxta alijs alijsq́ ſuas* Acheruntia *flammas*
Stagna, ſuperfuſo liquidæ picis imbre, miniſtrãt.
Clamor vbiq́, & vbiq́ labor ſtridorq́ dolorq́

Et

Et lacrimæ, & gemitus, & perpetui vlulatus;
Nec facies, nec forma loco, ſed terror & horror
Vndiq; & innumerus damnato in carcere tortor
Sontibus æternos ſubſternit manibus ignes.
Nec numerus turbæ eſt, ſed reſtant mille reorum
Agmina; mille latent horrendo nomine pœnæ,
Nomine mille carent: labor eſt euoluere partem.
21 *Verum illi quid molis agunt, qui ſaxa præuſtis*
Ignea ſubuectant humeris, atq; irrita feſſi
Fundamenta locant? an & hæ Phlegethontia *curæ*
Pectora ſollicitant? Vrbeſq; attollere regno
Perſephones *tentant? age fare nouiſſima vates:*
Protinus ille: pares cœptis audacibus, inquit,
Perſoluunt pœnas; & iam bis dena laborant
Sæcula fruſtrati, biſq; altera dena negatum
Conabuntur opus. Nam poſt quàm naufraga gentem
Sacrilegam tellus fatalibus obruit vndis,
Hi veriti, ſeros eadem ne fata nepotes
Excidio premerent, atq; eluuione ſecunda
Subruerent vrbes; immani culmine turrim
Aedificant, rupeſq; intro monteſq; receptant
Circuitu, quantum Babylonia *mœnia poſſent*
Olim optare ſibi: mox vſq; in nubila ſaxis
Impoſitis fecere viam: cæloq; minati
Vicinas afferre manus, ſublime cacumen
Imbribus intactum, & nullis ſuperabile ventis

Eſſe

Eſſe ratis, riſêre minas iraſq; triſulci
Fulminis, & faſtu ſtolido ſpreuêre Tonantem.
22 *Vidit vana pium faſtigia creſcere numen,*
Iamq; adeò montes, iamq; ipſas tangere nubes,
Tranſabitura etiam, niſi cœpta ſuperba potenti
Diſturbata manu conſurgere porro vetaret
Altius. Ergo hæret feriatne tricuſpide telo
Aeriam molem, & faſtigia diſſipet igne:
An Boreæ *quatiat vehementi turbine? an imâ*
Euocet iratus validum è tellure tremorem,
Saxeaq; ambiguo luxare cacumina motu
Occupet, an ſolo molimina grandia nutu
Ludat, & inſanas vertat ſine fulmine turres?
Poſtremum placuit. Linguâ conſueuerat vnâ
Omnis adhuc tellus, & verba Hebræa *rotabat*
Non diſcorde ſono, patria commercia lingua.
Omnibus hinc facilis, fieri quodcunq; iuberent
Diuerſi, conſenſus erat; paruoq; iuuabat
Tempore ſublimem Concordia *ſurgere molem.*
23 *Hâc operas viſum eſt vbi fundere parte* Tonanti,
Vocum omnis tollatur, ait, Concordia. *Dixit,*
Verbaq; dicentis res eſt comitata. Repentè
Alter Arabs, *alterq;* Cilix *in diſſona vocum*
Murmura, labrorum informes pandebat hiatus.
Iam ſtridere Getæ, *iam frangere verba* Geloni
Numquã audita prius: iam Memnones *aſpera*
Barbarico torquere labra, & vocalia laxo (rictu
Gutture captabant protrudere ſibila. Quad-

icH

Hic Indus, Getulus *ibi diſcordibus* ῾vſi
Vocibus, alternos nequiêre agnoſcere nutus.
Et Perſæ Medos *ſtupuêre, &* Bactra Britannos.
Et Numidæ Celtas, *& vox* Germana Sicābros.
Inde ſibi cunas Graiæ *ſapientia lingua*
Repperit, & voces excepit terra Latinas.
Tum dubiæ cœpêre manus languere, ſuasq;
Obſtupuêre moras opera interrupta: nec vllam
Alter in alterius conſenſu repperit artem.
Iuſſus enim præbere manu famulante ligonem,
Saxa dedit; dare iuſſus aquam faber, attulit anſam.
Atq; iterum orat à ſectum dare marmor, arenā
Portârunt opera: Calcem petiêre, bitumen
Mittitur; & cuneus fertur, cum lima rogatur.
Sæpe ſuam à ſocio ſocius repetiuit amuſsim,
Cum ſocius terebram, aut vnca pro forcipe ſerrā
Ludibrio variante dedit. Deſcendere iuſsi
Adſcendêre omnes. Iterum quos fortè magiſter
Iuſsit ſublimes adſcendere, deſcenderunt:
Venerunt vetiti, atq; iterum fugêre vocati;
Currere quē voluit, ſtetit, & quē ſtare, cucurrit
Inuerſis animi ſtudijs. Diſcordia tandem
Concordes operas abruptâ lege diremit,
Infectâq; manus operoſa à mole quiêrunt.
24 *Olli inter ſeſe quantum diſtare loquelis,*
Continuò tantum cœpêre recedere terris:
Quà ſua Iordanes, *qua littora lambit* Araxes,
Quà Ganges, *quà* Rhenus *abit, quà ſaxa* Niphatæ

Nubiferaq; Alpes, Rhodopeiaque frigora pendent,
Quà Nili Catadupa ſonant Tibriſque Paduſq;
Alluit Auſonias felici gurgite ripas.
Nunc opere ex tanto cum res ſit nulla ſuperſtes,
Turris adhuc ſeruat vacuum Babylonia nomen.
Ecce autem hic, piceos vbi agunt incendia fumos,
Sulfureamq; rotant vacuâ è ſartagine nubem,
Et ſtridente rota voluuntur turbine currus
Falcibus armata, & ferro candente reuincta,
Hic ſedes Herodis erit. Nuſquam horridus alter
In toto Phlegethonte locus, nuſquam altera pœnis
Flamma infeſta magis. Quicquid diuerſa malorum
Eximium ſeruant Letheæ ergaſtula vallis,
Omne redundat in hunc extremi carceris oram.
Iam vacua exſpectat venturum flamma colonum
Impatiens: dudumq; ſuos ſtomachatur inani
Ludibrio ſauire rogos; ac debita flammis
Pabula, nequicquam toties ſperata, negari.
Parua mora eſt, dabitur. Prius inteſtina pedeſter
Bella parat miles, ſcelerisq; domeſticus vltor
Imminet; è viuo generandi corpore vermes
Defigent auidos humana in pabula dentes.
Quos ea deficient vbi paſcua; merſus Auerno
Ipſe nouos vermes, impaſtaq; monſtra, ceraſtas
Cernet, & æternis iterum rodenda colubris
Altera membra dabit. Pœnis ſubigetur in iſtis

Alter-

Alternas mutare vices, ſenſuq́ perenni
Explorare Stygem. *Iamq́ ignea debitus hoſpes*
Sulfureæ ſudata pyra, piceataq́ Lethes
Balnea: iam gelida, glacialia frigora brumæ
Inſperata pati: iamq́ ad deſerta reuerti
Continuò, atq́ aliis iterum mutare repertis.
Hic veſtram luet ille necem: quæq́ ante Tyrannus
Plura dedit: quæq́ auſurus dare plura ſuperſtes
Funera adhuc (nam perget adhuc dare multa cruentus
Funera) ſupplicio luet hoc. Longamq́ nepotum
Iuxta ſe ſeriem, exempli ſcelerumq́ ſequacem
Vicino infelix ardere videbit in igne. (*futura*
26 *Hei mihi! quæ video ſobolis documenta*
Illa Deum *quondam* (*metus eſt meminiſſe*) *niuali*
Succinget chlamyde, & fatuo traducet amictu,
Vtq́ greges auſint poſtica illudere ſannâ,
Auctor erit. Superi facinus prohibete ſceleſtum,
Igneaq́ irati pro Numine mittite capto
Fulmina. Progenies eadem, (ſimul ebria circum
Sigmata cœptabit choreas agitare puella,
Alternos factura pedes;) orbare iubebit
Eximia ceruice virum, cui ſecula vatem
Nulla tulêre parem. Sed vindice numinis irâ,
Indigus in terris pœnas dabit exul Iberis.
27 *Nec ſenior meliora nepos* Agrippa *capeſſet*

Con-

Conſilia, ille pari quodam altera & altera ferro
Tentabit capitum magnorum incidere colla;
(Altera ſed miſſus ſubducet carcere rupto
Ales, & in tuto plebe admirante locabit:
Altera librata ſubdentur victa ſecuri.)
Non impune tamen: ſolio cum vanus ab alto
Perſtrepet, ac populi plauſu deceptus inani
Humana ſuperata ſibi miracula lingua
Credet: ibi, cælo faſtum indignante, rigeſcet
Diffuſo per membra gelu; dictoq; caducos
Iure ſuis æger præbebit vermibus artus.
28 *Hunc* Agrippa *minor, ſceleris poſtrema paterni*
Effigies; hunc ipſa ſoror malè nupta ſequetur
Agnoſcenda procul Berenice. *Quantus ab vna*
Stirpe furor? Manet hos inferni carceris horror
Et generi ſeruata palus: Quam ſola replere
Saltatrix poſſet vitijs Herodias *omnem.*
At non illa tamen ſicco Phlegethonta *ſubibit*
Funere: ſupplicij partem prius exiget vnda,
Vnda graui glaciata gelu. Cerno, improba, cerno
Lubrica conſtricti tranſire coagula riui
Quàm properet! Liquida glaciei vitra dehiſcunt
Iam medio dirupta lacu: iam iamq; puellæ
Pars ſubmerſa natat: Iugulo tenus altera ſupra
Gurgitis adſtrictas etiamnum ſubſilit vndas.
O meritam, ne teſta pedes glaciata procaces
Ferret, habet iuſtas, culpæ memor, alueus iras.
Talia dum pueris Ieſſeius *explicat heros*

Terrai coeunt iteratâ lege cauernæ, (*bra*
Tænariumque *pia prohibentur cõminus vm-*
Inſpectare chaos. Iuuat has meliora Piorum
Agmina mirari, & rebus gaudere ſecundis.
19 *Viribus interea, poſito languore, receptis*
(*Biſſenas luces poſt quã interiunxerat exul,*)
Deſerit hoſpitium veteris Ioſippus Oliuæ,
Et profuga maturus iter cum prole relictum
Deniq; *ſecuras* Aegypti *inſtaurat ad vrbes.*
Iungitur exilij comes, & veſtigia ſeruat
Tityru *vt puero famulas accommodet vlnas.*
Abnuit obſequium, nunquam poſitura beatũ
Mater onus; nec ſe dilecta poſſe grauari
Prole putat, feſſos abſq; illa habitura lacertos.
Illis aligera ductor loca tuta cohortis
Præuius accurat, (nihilo diuerſus ab illo
Quem liquido ſimilem ſpectarat in aere nuper
Tityrus,) *inſignis radiata fronte miniſter,*
Puniceo cui picta chlamys Sidonia *limbo,*
Ex humeris imos vela bat pendula talos,
Auro texta graui, varioq; opulenta lapillo:
Summa leues volucrum pennis fulgentib. alæ
Terga leuant. Alij iuxtaq; ſupraq; minores
Extorrem puerum comitantur, & omne vo-
latu
Prætentant fugientis iter, ne bellua turbet
Occurſu funeſta ſuo, neu deuia ducant
Ad ſubitum incautos nemorum veſtigia præ-
ceps.

Illi

Illi etiam rupes & ſaxa morantia, promtâ
Moliti pepulêre manu, vepriumq; moleſta,
Aſperaq; cliuorum agiles, & iniqua viarum
Complanare citi, & dura emollire laborant.
30 *Ipſa roſas pedibus gradientum, & lilia ſollers*
Sparſa miniſtrat humus: prætexit amaracus omnem
Qua fuga facta, viam: & pubentia gramina plantis
Suggerit. & caſiâ, & violas, & quicquid amæni
Purpura veris habet, calcandum ſemita præbet.
Quin etiam aërio volucrum gens muſica plauſu
Longinquum ſolatur iter, gratisq; canorum
Accinit hoſpitibus vocali gutture carmen.
Laurigerumq; nemus ſtatioq; vberrima palmæ,
Et procera cedrus, turriq; ſimillima pinus,
Aduentum ſenſêre Dei, leniq; comantes
Gaudia teſtatæ tremuerunt murmure ſiluæ.
31 Ficus *erat viridi prætexta crepidine, feſſis*
Opportuna quies, & grata ſedentibus vmbra.
Nuſquam alibi ramos effuſius explicat arbor
Vlla ſuos: imas ferit ardua vertice nubes:
Frondibus hinc atq; hinc porrectis ſubter opacat
Omne ſolum: & fructu domini ſpem vincit auari.
Hanc Pharij *(vt perhibent) ſeuit manus inclita regis*
Exiguam, nomenq; ſuum paruæ indidit: illo
Gaudet adhuc vno, quamuis procera, vocari.
Nulli illam agricolæ, nulla læſêre bipennes

Sed ſtetit aërios iam dudum immota fragores
Inter, & à telo vim nunquam eſt paſſa triſulco.
Huc vbi ſera ſenex tetulit veſtigia, prolesq;
Aetheria extremas primum arboris attigit vm-
Intremuit procerus apex, puduitq; videri *(bras*
Erectum cælo caput oſtentare: cacumen
Inſtitit accuruis igitur ſubmittere ramis,
Inq; ſinum, inq; manum felices indere fætus.
Obſtupuit viſu genitrix, pronumq; miniſtræ
Arboris obſequium, non aſpernata, recepit.
Mox placidam contacta manum Melimela *ſe-*
quuntur,
Illecebræ dulces, ac dulcia nectare poma:
Et quædam matura minus, cùm virgine primũ
Tacta fuère manu, miteſcere docta fuerunt.
32 *Vtq; epulis exemta fames hortenſibus:*
vltro
Accuruata leuem ſurrexit in aëra Ficus,
Officio perfuncta ſuo. Sed inhoſpita circum
Mænia, gratuitos dum ſurda morantur egenis
Exulibus præſtare lares: Humanior arbos
Officiis certare nouis iterata laborat.
Et ſolido cæpit diffiſſa fatiſcere trunco:
Inq; duas hiſcente ſinu diſcedere partes,
Portenti facies miranda! Cubilia fiſſo
Opportuna ſibi genitrix in ſtipite vidit,
Dædalea *fabricata manu. Nuſquam altera*
mallet
Tecta, ſuæ penetrale fugæ: quo ſedula noctis
Vita-

Vitaret ſubitos tuta cum prole timores.
Felices latebras, quas non à Rege Canopi
Exiguo ventura volent, ſed ab Hoſpite *magno*
Aeternum terris extendere ſecula nomen.

33 *Vt primum è croceo viſa eſt aurora cubili*
Vicinam monſtrare diem, tepuitq; propinqua
Iam Phaethonteæ *face lampadis aura, relinquunt*
Arboris hoſpitium, Niliqueſ *fluenta ſecuti,*
Celſa Paretoniam *procul inter mœnia turrem,*
Pyramidumq. *altas, immēſa cacumina, moles,*
Et laterā mirantur opus, quod Hebrea *Tyrāni*
Imperio eſt molita manus: ſeruile prius quàm
Excuteret gens preſſa iugum, populoq; ſequaci
Per refugas ductor ſicco pede corniger vndas,
Melle mero plenas & nectare traderet oras.

34 *Quà ſe cumq; ferunt,* Vncto *via plurima ſaxo*
Viſitur, & ſtatuis inſeſſa crepido pudendis
Infernæ ſobolis. Spectantur mille Deorum
Horribiles larvæ: Phariæ *lunata* iuuencæ
Cornua deformis cerata fronte Serapis,
Lu[illegible]esq; iuba, & ſquamis maculoſa pauendis
Tergora Serpentum, & Crocodili *turpis ima-*
Inter adoratas ſedem ſibi deſtinat aras: (go.
Seq; coli rident fatentia numina Cæpæ,
Alliaq; & ſtantis capitata cucurbita Porri.
Non potuit ſufferre phalāx monſtroſa Tonātis
(Quamquam infantis) iter: ſed iuſſa faceſſere, paſſim

Cor

Corruit,& fracto proſtrata repente coloſſo,
Plauſit humum pedibus plebes calcāda beatis.
35 Stabat in annoſa ſublimi ſtipite palma,
Aereus infami Stygis è fornace Canopus
Indecori cum ventre Deus: cui ſtulta recentes
Turba roſas,plexasq́ roſis ſacrare corollas
Sæpius inſuerat,turisq́ frequenter odores.
Supplice Niliaca myſtes adolebat a terra.
Hunc inita fecere Deum (miſerabile) fraudes,
Atq́ aras monſtro templumq́ polumq́ dedere.
Nam iurata diu variai diſcordia gentes
Traxerat,ex omni quis demum plebe Deorum
Ius in cælicolas reliquos ſupremus haberet:
Conſenſu placuit tandem componere litem,
In medium pars quæq́ ſuos vt prompta iuberet
Accelerare Deos: qui viribus antiſtaret,
Ille ſibi faſces,primusq́ perennia rector
Cælituum in magno retineret ſceptra ſenatu.
36 Continuo ſimulacra ſuis elata ſacellis
Comportantur,iners circumſtat turba Deorum
Fictilium,querno pars nati è ſtipite,partem
Arte Promethea figuli fin[illegible],liquenti
Pars animam è cera,vario pars ora metallo,
Aut aliquo informē duxere è marmore formā.
Huc Phrygiæ tu[illegible]ta Deæ ſimulacra ſacerdos
Semiuir,Idæis ſupra depoſita leones, (conis
A[illegible]tulit: huc Cererem gemini inter colla dra-
Trinacria miſere nurus: vtramq́ vetuſto
Arboris è trunco: veteri miſere Mineruam

Atrides *argento calatam, & fulmine torto,*
Aegideq́; infeſtâ metuendam, & caſſide toruam:
Vulnificum tellus ſubmiſit Thracia Martem,
Creta Iouem, *nuptamq́;* Ioui Samos: *inſula*
claudum
Mulciberum Lemnos, Latonæ *pignora* Delos,
Facta luto, minioq́; genas infecta rubenti.
Atq; alios alij, deformia numina, truncos
Certatim accumulant: paſtam ſerpentibus Ibim
Niligenæ *extremi*; Crocodilum *diruta* Thebe,
Arſinoeque Canem: ſiſtrata Dioſpolis Apim
Ore alio: atq; alia ſub imagine Memphis Oſi-
rim,
Syrmateq; infamem poſtico Cercopithecon
Coptos: *& huic geminum portentum extrema*
Syene. (pum
Vltima monſtra Pharus *tulit, area ſigna,* Cano-
Vaſtâ mole Deum. *Huic vteri tumuère receſſus*
Occultâ fati intus aquâ: ceu plurimus vndâ
Inflatum diſtendat hydrops intercute ventrem.
Obdita fallaces texêre foramina ceras;
Intempeſtiuus nê qua prorumperet humor
Ante diem, furtiq; dolos aperiret operti.
37 *His adeo* Chaldæa *ſuum gens omnibus*
Ignem
Deniq; compoſuit: teſtata potentius illi
Numen ineſſe Deo: cui cetera turba Deorum
Cederet, aut vanas opponeret irrita vires.
Nec mira: Chaldæo *primus pugnauit in igne*

Iappi-

Iuppiter, *at poſt quam vicino tactus ab aſtu*
Intepuit, ſeſe ipſe ſuo cum fulmine victum
Confeſſus crepuit. Nec Martem *adamantinis*
vmbo
Eximium texit: nec caſsis ahena Mineruam.
Ambuſto cecidit rurſum pede Lemnius, Iſis
Lignea flagrauit, cineres hausēre Serapin,
Arſit & igne Ceres, *& flammis ceſsit* Apollo:
Cetera quid memorem ſignorum monſtra? Su-
perſtes
Ex omni numero, iam ſolus in igne Canopus
Arte laborabat Pharia: *clamoribus inſtant*
Hinc Chaldæa *manus, manus hinc* Nilotica:
victo
Neutra manus parſura Deo. ſpes angit vtrinq;.
Sed quæ cera caui praſtructa foramina ventris
Munierat, flammis reſoluta voracibus, vndas
Ecce repentinas Chaldæum *emiſit in* Ignem,
Quà data porta. velut grauidas cum forte coortus
Auſter agit nubes, aliiſq; tepentibus afflat,
Effundunt ſubitum Terris *ſitientibus imbrem*
Pleiades, *& valles calidis torrentibus implent.*
Non ſecus effuſis per aperta foramina limphis
Venter iners, monſtrumq; vteri deforme Cano-
pus,
Obruit admotos Chaldæi *numinis* Ignes.
Exſtinxitq; Deum. tepidæ iacuēre fauillæ
Continuò, gelidusq; cinis. Fleuēre ſubactum
Gens Chaldæa *Deum, nullo iam numine tuti.*

38 *Tollitur inde ingẽs* Nili *per litora clamor,*
Quantus ad inuentum tolli conſueuit Oſirin,
Fortius in ſolo ſibi numen ineſſe Canopo,
Quam cælum in toto poſſit reperire Senatu.
Hinc cita victori concordes munera trunco,
Ferre iubent, & plena Deo dare tura potenti.
Illum omnes præſtare Deos. His artibus emtum
Truncus iners rapuit vota inter inania nomẽ.
Donec in amplexu Ieſſeæ Virginis *Infans*
Inſcia nimborum quæſito regna petiuit
Exilio: tunc mota loco cecidere pauentis
Certatim portenta Stygis: *claroq; fragore*
Diſſilijt, (tonitru vt cum ſciſſis nubibus olim
Impatiens erumpit) humiq; effuſus & ipſe
Ante alios præceps: &, quamuis aerea, fregit
Colla tamen, traxitq; ingenti mole ruinam,
Materies factus populis ridenda Canopus.
39 *Silua iugis aderat ſublimibus horrida, longeq;*
Inuia ſeruabat confuſo tramite Teſqua,
Faunorum *ſtatio,* Lemurumq; *cubile vagorũ.*
Hic crebra ſuas legio Cocytia *noctes*
Exigere, & facto late complere tumultu
Omnia conſuerat. Miſeris manare colonis
Inde metus, trepidoq; excitæ pignora matres
Abdere parua ſinu. Timuit loca tetra viator,
Et vigilum tremuere canes: & paſcua (quãuis
Im[illegible]aſta) fugere boues, fugere volucres:
At ſimul æterno ſoboles æquæua parenti

Her-

Horrificum viſu nemus eſt ingreſſa, repente
Effugere ſtriges, Lamięque, Erebique caterua,
Siluaniq; mina, & pecoris ludibria Panes,
Capripedes Fauni, & cornigeri Satyriſci.
Inq; vicem ſubiere, Deo mittente, miniſtri
Aligeri: lateq; metus pepulere priores.
40 Tunc hilares demum cœpere vireſcere ſilua,
Ac poſito ſqualore, nouis pubeſcere Terra
Floribus, & pulſis Tempe ſuccedere Teſquis.
Subſtitit hic, Comitumq; ſenex obuerſus ad vnum
(Quippe repentino mutatus numine, vatem
Induit.) &, quæ ſe facies, ait, altera rerum
Tityre, in his ſiluis aperit? video omnia miris
Verſa modis: video nemorũ hac inculta, ferati
Surrectura ſolo: quanto Phæacia nunquam
Aut Pæſtana queant violaria creſcere cultu.
En habitanda locis circum vndiq; pluribus antra!
41 Hic Peluſiacæ Paullus quondam incola gentis
Primus erit Profugus patriis huc ibit ab oris,
Inſidias metuens, hac deinde ſeneſcet in aula
Luſtris vſq; decem. Nullas tamen afferet illi
Vlla culina dapes: primas ſed amygdalus eſcas
Interea, & primas tenuis dabit alueus vndas
Poſt longa documenta famis, tum deniq; iuſſus
Gratuitas diſcet ſub ſera crepuſcula Coruus

Apportare dapes, Cereris *fragmenta ſubacta:*
Dimidiata quidem, cùm ſolus, & hoſpite nullo
Accumbet: peregre ſimilis cum venerit hoſpes,
Integra conuiuis apponere liba duobus.

42 *Aemulus hic alter paribus vigilabit in antris*
Noctes atq; dies Antonius. *Hei mihi! quantas*
Ille per inſidias olim eluctabitur Orci,
Ad ſolida virtutis opes! video vndiq; ſeptam
Monſtris mille caſam deformibus. Inde leones
Erectare iubas, hinc rictum oppandere tigres:
Hinc latrare canes, hinc cornu inſtare biſontes:
Ille tamen cinctus toto Phlegethonte, *triumphat*
Victor, & imbelles tot in hoſtibus exprobrat iras.
Miratur Styx victa virum, queriturq; nec vni
Aſceta potuiſſe ſuas obſtare cohortes.

43 *Hunc alij ex alijs deſerta per antra ſecuti,*
Implenêre nemus. Sonat (audio) carmine pernox
Silua pio; noctemq; odis cæleſtibus æquat
Iuſſa dies; iterumq; diem nox æmula tentat,
Dum ſtudet alternas diuorum dicere laudes.
Ecce madent calidis effuſa liquoribus ora,
Quacumq; adſpicio; liuentq; perennia fletu
Lumina; ſemanimesq; arenti in corpore vultus
Accitaq; fame, & quæſitâ torrida longâ
Labra ſiti! validis en vt præcordia pugnis
Tundat nuda lapis? reſonāt caua pectora planctu
Adſtantesq; gemunt vicino à verbere rupes.
Quid? quod & armatos alij ſæuire lacertos

Iu

In ſua terga iubent? fuſoq; piare cruore
Exiguas labes nullo ſubigente laborant?
Hos vigilata iuuat ſolida per tempora noctis
Figere genua ſolo, ſed lumina tondere cælo;
Hos iuuuat aut ſetis aut æſpro includere villo
Corpus: at hos nudos præbere Aquilonibus *artus*
Atq; hiemes vltro, brumasq; laceſſere pugnâ.
Hos fixo ſpectare gradu vementia Solis
Tempora delectat; rurſusq; cadentia fixo
Aſtra *videre gradu: & ſtabiles mirantibus aſtris*
Plurima in excelsâ traducere luſtra Columnâ.
Tanta tenent animos peritura tædia vitæ,
Dum feruet melioris amor: ſolisq; probentur
Vt Superis, *odium fieri* mortalibus *optant.*
Vos verò, ô cælo digniſſima pectora, nunquam,
Nunquam odio terris eritis: ſed (ſi qua futuri
Mens præſaga mihi eſt,) naſcens venerabitur orbis
Semper, & è veſtris eductos terra cauernis
Olim perpetua ſupplex dignabitur arâ.
Vos portenta Erebi (toties infeſta minentur
Iam licet) ante pedes veſtros abiecta, timebunt.
Vos placida tigres, vos exarmata leonum
Agmina, cen dominum manſuetior agna, ſequentur:
Submittentq; iubas, & blando ſyrmate notos
Mulcebunt proſtrata pedes: famulosq; recondent,
Docta ſtatim vobis parere iubentibus, vngues,
Et vacuos impune ſinent percurrere rictus.

Ceũ quondam, pecoris cum paruus ouile paterni
Obſeruaret adhuc puer, & Bethlemia circum
Paſcua carniuoris tentata videret ab Vrſis,
Hinq; pecus ruere Aſſyrios imbelle leones:
Luſit eos, inter teneros quaſi luderet Agnos.
Nēpe feras etiam trahet ad ſpectacula virtus,
Et ſiluam pietas mutari in templa iubebit.
45 Finierat Vates, cum deniq; paruit ingēs,
Mœnibus antiquis, & turribus alta ſuperbis
Hermopolis: nam forte ſeni mōſtrauerat Ales
Hanc fore longa fuga poſt diuerticula ſedem.
ARNVS ibi Iſacia de ſtirpe colonus agebat, (ra
Largus opum in miſeros: ſpecies cui nocte ſopo-
Viſa verenda ſenis, laſſa cum coniuge notam
Implorare fidem, & ſocios optare penates.
Excutitur ſomno: & feſtinus ad oſtia, ſi quis
Hoſpes oberret, abit. Verum hoſpesq; ad oſtia nullus:
Compita daduchis luſtrat comitātibus: hoſpes
Obuius eſt vrbis tota inter compita nullus,
Irritus ergo ſuas ſomni redit Arnus ad vmbras:
Nec mora: cana ſimul redeūt ſimulacra, prioris
Ora ſenis: quem faſce rudi collecta ſupellex,
Malleus ex humeris, & adunca lamina Serræ,
Aſciaque & Forceps & ahena Dolabra grauaret.
Ille manus iterum feſſa pro coniuge ſupplex
Tendere viſus erat, profugaq; repoſcere fides,
Hoſ-

Hoſpitii pro prole lares. Ea protinus Arnum
Forma monet: necdũ experrectus, lumina pãda
Exulibus properata iubet. Succedite tectis
Hoſpita turba meis: famuli date lautia: Men-
ſas (harent?
Ite citi. nondum manibus data limpha? Quid
Aut vbi ſunt? dixit, mediaq; in voce reſoluit
Illaſos formus oculos mendacibus. Et iam
Conſpicit optata vicina crepuſcula lucis,
Nec niſi vana ratus Morphei ludibria, ſurgit
Immemor. at medio dum cæli Phœbus *in axe*
Flexit anhelantes ad meta ſumma iugales,
Forte ſuburbanos Arnus *procul ibat in hortos.*
Pluribus ardebant vbi prata rubẽtia gemmis,
Arboreiq; graui nutabant pondere fetus.
46 *Suſtulit hic oculos, & recto tramite*
cernit (nis,
Aduentare ſenem, quem viſa grauare Bipen-
Malleus, *&* Forceps, *& fabri,* Serra, *ſupellex.*
Viſa ſequi coniux, & coniugis inditus vlnis
Eſſe tener, qualem ſopor illi oſtenderat, infans.
Ergo memor, properat venienti occurrere
pompæ
Comminus. Hic oculis res inſperata, repente
Ipſe ſuum agnoſcit veterem Ioſippus *amicum*
Attonitus: pariterq; ipſum vix viderat Ar-
nus,
Et prior, ô ſuperi? mihi tu ſuauiſſime fratrum,

 Tu

Tu Ioſippe *mihi? ſimul oſcula figit, & ardens*
Alter in alterius complexu totus inhæret;
Te mihi noctis, ait, venturum oſtenderat vmbra.
Tunc vani confuſa metu; nunc verior ipſo
Vmbra die. vidi venientem teq; tuamq;:
Et ſimul adſpectam compellat virginem, & ipſum
Virginis infantem cupidis amplectitur vlnis.
Cuius ab ambroſio radios effulgere vultu
Ominis ignarus ſtupet, & miranda modeſtæ
Indolis ora videns, plenusq; horrore verendo
Arcanum ſenſit puerili in corpore numen.
47 *Hic aliud monſtrum miranti grandius* Arno,
Obijcitur. Vertumnus *erat, quem poſtibus horti*
Impoſitum, plebes domi placare ſtudebat
Ruſtica, cum verna ſe tempeſtate renaſcens
Verteret, inq; ſuum ſeſe ipſe reuolueret orbem.
Ille ibi, (quamquam ingẽs clauis affixus ahenis
Nullum è ſublimi caſum ſtatione timebat,)
Intremuit viſu pueri, totusq; pependit
Caſura cum mole Deus: dum deniq; ceruix
Excuſſit ridenda caput; ceciditq; trophæo
Teſta ſuo: & truncas infami vulnere nares,
Et mutilas inhonora manus amiſit imago.
Arnus, *adeſt* Ioſippe *Deus; Deus, inquit, aperto*
Proditur indicio; non hanc mihi vana miniſtrãt
Argumenta fidem. metuunt ſimulacra, trahitq;
Præcipites formido Deos. Negat ipſe roganti
Iam Phœbi *reſponſa timor, ſurdisq; cruentus*

Se-

Se negat in templis iam poſſe litare ſacerdos,
Et memini: vates de clade oracula tali
Fudit Amoſiades: Extrema in regna Canopi
Venturum tenui quondam ſub nube Tonan-
tem,
Et ſubito in præceps actutum Aegyptia latè
Incuſſo ſimulacra metu. Viden' omnia certis
Iam patefacta notis? Et habet plus ominis infans,
Cuius ab ambroſio radios effulgere vultu
Vidi equidem; & ſenſi tacitos in pectore motus
Neſcio quos, Ioſippe: Deus Deus indidit illos.
Te per ego, ſuccede, precor, neq; pauperis hoſpes
Tecta fuge: & rerum quæ ſint oſtenta tuarum,
(Sunt etenim, ſunt magna, reor, Ioſippe) volenti
Pande libens Arno. Simul in ſua prædia ductos
Accipit; & cauſſas veniendi ex ordine diſcit.
Vtq; metum Herodis, bimaq; cruenta iuuentæ
Funera cognouit, lacrimis confuſus obortis
Dulcia ſeruati pueri veſtigia preßit,
Incubuitq; diu: & nimis hoc felicia, dixit,
Hoſpite tecta! placet totos impendere cenſus
Exilio. Quidquid profugis Iudæa negauit,
Barbara villa dabit. tenuem, ne ſpernite villam,
48 Porticus, ecce, locum circumſecus ampla
coronat,
Quæ præſtare larem, nectisq; arcere timorem
Tuta queat. Viden' hæc (ſimul in pomaria ducit
Interiora ſenem:) veterum monumenta parentum,

Omnia parietibus depicta! Aliquando diurnas
Vt minuam curas, iuuat his inhiare tabellis,
Et veterum mores è pariete diſcere picto.
Hic primùm aërio ſuſpenſos turbine Currus,
Et biiuges oſtendit Equos; *bigaq; locatum*
Ignifera Vatem, *qui cæli primus inauſum*
Per nubes tentârat iter. Flagrat ignibus Axis,
Et rota flammatis circumdatur orbibus: Ardet
Igne iugum, temoq; iugi: viuumq; iugales
Ore vomunt, oculiſq; & anhelis naribus ignem.
Ipſe ſedet medijs non vſtus in ignibus; orbiq;
(Vltima fatales metuet cùm terra ruinas)
Caſuro rediturus abit. Sed labitur alto
Defluus è curru, Vatemq; relinquit amictus.
Caluus idem ſpolium domini fugientis Alumnus
Excipit, & refugas illo velut obice cogit
Hinc Iordanis *& hinc ſubitò diuortere lymphas.*
Mox alias aliasq; oculo luſtrante figuras
Circumeunt. Hic caſtra inter Babylonia *captis*
Inſultare vident Holofernem *mœnibus: illic*
Educto qualis gladio Juditha *cubantem,*
Ebriaq; Aſſyrio *voluentem ſomnia lecto,*
Auſa neci dederit: iuguloq; repentè reſecto
Vna Virago *viros, ſine milite, fuderit omnes.*
49 *Hic* Moſæa *choro ſoror applaudente* Pharonem
Ridet Erythræi *demerſum gurgitis vndis.*
His omnes Regina metus Heſtera, *minaſq;*
In caput Hebræi *generis quaſcumq; pararat*
Ho-

Hoſtis, in auctorem ſceleris conuertit Amanum.
Agnoſcit triplicis ſe Virgo *in imagine* Nymphæ;
Erubuitq́ ſuas alieno in ſchemate laudes;
Et cito monſtratum peragi deſiderat omen.
50 *Parte alia, proris* Roſtrata *tridentibus æquor*
Sulcat, & hibernas inter Ratis *acta procellas*
Aërias nubes Puppi *ferit ardua,* Proram
Aequoreas eadem demerſa recondit in vndas.
Tendunt pallentes in cælum brachia nautæ,
Oraq́ clamorem cupientia tollere pandunt
Nequicquam. Mediâ ſtat pars denſata carinâ,
Et Ionam (*iuſſo fugientem à littore* Ionam)
Præcipitem iratas è naui exturbat in vndas.
Ecce autem! immanes Balæna Britannica *rictus*
(*Ponè natans, motaq́ euerrens æquora caudâ*)
Pandit, & eiectum laxo vaſti oris hiatu
Sorbet onus. Senſim inde putes miteſcere fluctus,
Et poſitâ feritate omnem ſubſidere Pontum.
At procul aduerſum, tenui in caligine, littus
Pingitur: hic vdam reiectat Bellua *prædam,*
Brachia tendentem, & prenſantem littora vatem.
51 Ioſippum *ſpecies tenuit non vana. Sed hæſit*
Tityrus *interea diuerſa in imagine fixus:*
Lanigeras ducebat oues quà picta Iacobus
Arua per, & valles: & aprica per ardua colles

Hic gregis amiſſi memor, vſq; videre bidentes
Perſtat; & enumerat pictum pecus omne, ſuoq;
Comparat. Ipſa ſuas; dominū comitata, repertas
(Vt tabulam ſuſpexit) oues putat eſſe Lyciſca.
Inde alia ex alijs Arnus *demonſtrat; & omnem,*
Si ſedet, hanc horti, Ioſippe, *ait, incole villam.*

52 *Iam dudum hoſpitio* Ioſippus *& hoſpitis* Arni,
Colloquio gauiſus: Opem, quam largus egenis
Haud dubiam promittis, ait, non poſcimus omnē:
Tecta dediſſe ſat eſt, modicoq; cubile mapali.
Cetera (cum vegeta durent in corpore vires)
Nos dabimus. Nec enim grauis eſt, tolerata bipenni,
Vita fabro, & ſolitis quærenda laboribus eſca.
Nec nouum erit, curare nemus; textisq; patentes
Arcendo pecori circumdare mœnibus hortos.
Aut fluuij ripas ſectâ prætexere pinu.
Aut validas magnis aptare biremibus alnos:
Ipſa ſoror vel penſa trahet, vel ſedula lanam
Interea faciet, Phrygia *vel candida ſollers*
Stamina pinget acu: (didicit, cum paruula templo
Clauſa vacaret adhuc.) Nec rebus prouida deerunt
Sidera: numen alet, cui ſunt opera omnia curæ.

53 *Sic fatus, ſedem in tectis hortenſibus optat*
Extorri cum prole faber: quos Tityrus *ambit*
Exul, & hoſpitij poſtremâ in parte relinqui,
Aetheriæ ſobolis ſtudio, comes additus ardet.

His

Hic mihi, quid genitrix cælo procul acta paterno.
Quid peregre bis terna ſenex per frigora brumæ.
Perq; alias totidem quid meſſes egerit infans,
Et tulerit: memoreſne mihi narrare Camænas
Poſſe putem? An potius rerum miracula nulla,
Quidquid agant, ſe poſſe vident æquare canendo?
Summa tamen timido iuxta faſtigia paſſu
Vatibus ire licet. Vatem tu maxima duco
Virgo tuum, puerique breues narra exulis annos.
54 *Extrema nemoris fons eſt pellucidus orâ,*
Diues aqua, & tacito dum Sirius vrit hiantes
Igne ſerenus agros, vitreo de gurgite bullit
Vnda, niues, gelidaque; laceſſens frigora brumæ.
Inde cauis omnes excepta canalibus horti
Irrigat areolas: floreſque, roſaſque perenni
Frigore fæcundat: nec reſtagnante moratur
Pigra lacu; liquido ſed deriuata miniſtrat
Amne per æſtiuas largè ſua munera valles.
Imminet arbor aquis, frondeſque iubente propagat
Autumno fæcunda graues. quas plurima ſubter
Spargitur vmbra ſolo: viridis quà ceſpes ab æſtu
Incolumes horti defendere gaudeat herbas.
Optauêre locum (ſi quondam credimus) ipſæ
Theſpiades *Muſæ; nec eas* Libethra *tenebat*
Iam ſua, cùm poto ſemel hoc de fonte rigaſſent
Ora; vetus nequijt Pirene *tollere notam*
Faſtidita ſitim: celebrem iam denique crebra
Contemtis odere liquoribus Hippocrenen.
At ſuperi ſacros cultu vetuêre profano

Tur.

Turbari fontes, domino meliore bibendos.

55 *Huc igitur Virgo* Ieſſeia *ſæpe cauatâ*
Fontanos vrnâ latices hauſtura cucurrit,
Seu tolerata ſenis, ſeu (poſt quàm à lacte remo-
uit)
Exigeret teneræ potum ſitis arida proli,
Sæpe ſacro pueri ſudore imbuta lauabat
Lintea; cum ſenſit ſe limpidus ipſe lauari
Sindonis attactu liquor; &, puriſſima quamuis
Vnda, tamen ſemper ſeſe ipsâ purior ibat.
Iamq; ſinu prodire puer cæptabat, humumq;
Felici calcare gradu; ſed ſemper inhærens
Materno lateri comes: & quacumq; trahebat
Victa per attigui nemoris violaria caſtum
Virgo pedem, ſoboles greſſum ſociata ferebat:
Vnaq; aut flores tenero decerpſerat vngue,
Aut calathos onerare roſis: aut candida ſollers
Lilia felices diſponere iuuit in vſus.
Et quocumq; pedes conuerterat, ocius illic
Tota teri pedibus cupijt cœleſtibus Hybla:
Atq; iterum quocumq; manus aduerterat, illic
Tota iterum manibus cupiêre roſaria carpi.
Fortunata nimis pratorum germina tali
Contingenda manu, Heſperiis *nunquam inui-*
da pratis:
Nec Corcyreos *inter mahtis odores*
Viuere, digna oculis irritamenta profanis,
Quàm talem decerpta mori potuiſſe per Vnguẽ.

56 *At* Puer, *vt medijs aliquando vagatus in*
hortis
Vrti-

Vrticas nudo preſſit pede; iuſſa pepercit
Nudo vrtica pedi: ſubitoq́; oblita malignæ
Indolis, in plantæ melioris nobile germen
Verſa, Palæſtinæ ſudare opobalſama ſucci
Cœpit, odorataq́; afflare tepentibus auræ
Deliciis vicina Phari *iuga, & omnia* Nili
Littora. Miratur Thymus, *& redolentis* Amo-
mi,
Et florum ſuperatus odos, Quiſnam ille beatas
Exhalet Zephyrus *pratis cæleſtibus auras?*
Nec breuis illa ſtetit mutatæ Gloria *plantæ:*
Sed ſeruata ſuâ in ſobole eſt; quæ diuite ſucco
Europamque Aſiamque *omnem,* Libyamque
peragrant *(gnis.*
Suauia fert Templis *&* Regibus *vnguina ma-*
57 *Fortè roſas aliâ violasq́; in parte legebat*
Abſenti genitrice puer; iam iamq́; rubentes
Vndiq́; Narciſſos, *& candidulos* Hyacinthos
Carpſerat: hic viſu nouum, admirabile mõſtrum,
Ecce frutex! Humilis ſurgens è ſtipite pandum
Deſinit in florem: folio qui tenditur vno
Continuus, Radiisq́ *oras ambitur acutis.*
In medio lucent quinis illuſtria gemmis
Tubera: *purpureâ ſtillantia* Tubera *lymphâ.*
At matura ſinum calycis quà nympha recludit,
Erigitur (miranda fides!) procera patenti
Fixa Columna *ſinu. tereti de marmore, qualem*
Dædala *conari* Lyſippi *dextera vellet.*
Summa coronantur flexo Diademate: *credas*
Con-

Conſertoſq; hærere Vepres, *hirtuíq; minari*
Armatum ſtimulis erecti tergus echini.
Eminet implexus è ſentibus ordine triplex
Clauorum *facies, atrâ ferrugine quorum*
Fixus in erecta ſtabilitur mucro columnâ.
Prominet è folio breuiore Sariſſa, Flagellum
Capreoli efformant; ſpecies ſed ſtipitis alti
Quadrifidâ procera Crucem *ſimulare videtur.*
Non Arabum *fragrare illi memorantur odores*
Suauius, & vinci ſeprata Sabæa *fatentur.*
Hunc auidè talem reliquis è floribus vnum
Chara Dei ſoboles, manibus complexa futuriq;
Haud ignara, pijs ſæpè eſt dignata labellis,
Incluſitq; ſinu; propereq; oſtendere geſtit
Dona reperta ſua, plena inter gaudia, matri.
58 *Illa nouum vt vidit fruticem procul, inſcia rerum*
Palluit, & roſei color oris ab ore receſſit.
At propiore manu germen tactura, fluentes
Ex oculis ſenſit cadere ignorantibus vndas.
Vtq; manu florem ſemel ægreſcente remouit,
Siccatæ rediere genæ. Simul illa reſumſit
Germen, ad amiſſos oculi redière liquores.
Ecquod, ait, viſis miſera eſt in floribus omen?
Ter contacta mihi, ter oborto planta rigauit
Imbre genas. Aliquid mihi triſte Corona *minaris,*
Voſq; aliquid Claui, *voſq; ô diſtincta cruentis*
Stigmata *quina notis; & vos ſuſpecta* Colũnæ

Mar-

Marmora, vos aliquod miſera portenditis omen.
Quidquid id eſt, fiat ſoli mihi triſte, meoq;
Obueniat capiti, precor, & mea pignora ſeruet.
Dixit, & acceptam gremio fidiſſima prolem
Abſcondit genitrix: iterumq; vberrima fleuit.
Dum demum aſſiduum matris lenire dolorem
Caluuum ſumſêre duces: qui triſtia floris
Omina, Niliacis *è finibus, vſq; remotos*
Oceani fines, alioq; in ſole vagantes
Indorum *populos celeri rapuêre volatu,*
Radiceſq; agere, & generis ſemente perenni,
Memnonijs *ſobolem iuſſêre vireſcere pratis.*
59 Ioſippum *interea ſtudium non deſes habebat*
Diuerſis, vt quiſq; manum poſcebat, amicis
Nil ſenio tardante ſuos deferre labores.
Seu tignis aptanda trabes, pronumq; ruina
Iligno fuerat portandum Atlante *lacunar:*
Seu tecto columen deerat, ſeu ſublica ponti;
Hac modicas faber arte dapes, ac cætera rerum
Quæſiit, vt puerum pueriq; vtcunq; parato
Rebus in extremis defenderet ære parentem.
Atq; vbi iam primos infantia deſiit annos,
Sæpe puer (veniam genitrix cum forte dediſſet)
Sueuerat ire comes ſeniori, quando diurnum
Incepturus opus, vicinos ibat in hortos.
Contextumq; libens è lento vimine corbem
Ex humeris dudum optarat geſtare, paternum
Aemulus vt tentaret onus. Mox, ſi qua bipennis

Cadua de magno deſecta eſt aſſula trunco,
Ipſe manu ſpolium legere, & collecta minutum
In faſcem, quoties Ioſippum ſera iubebat
Vmbra redire, ſuæ portabat ſegmina matri.
60 At genitrix tunc ipſa (foci cùm nulla parandi
Cura ſuper) lino tenui ſubtemina Serum
Idæa miſcebat acu: Non illa profanis
Rerum illuſa notis; quibus irridēda Gigantum
Bella, Semiramio Babylonia texere fuco
Sueuit anus. Magno ſed erant plena omnia vero.
Nam ſua naſcenti placuit primordia mundi
Pingere. Cumq; vagos primùm lucentibus orbes
Iam ſtellis animaſſet acus, mediiq; paraſſet
Fundamenta ſoli; reliquis properabat omiſſis
Illa Voluptatis Nemora, & pomaria ducto
Stamine conari, quæ primi accepta parentes
Atq; amiſſa ſtatim, æternis fleuère querelis.
Hic labor omnis erat. Medijs ebullijt hortis
Vberis humor Aquæ: ripiſq; argenteus altis
Quattuor aduerſos diffuſus abibat in Amnes.
Vernabant viridi diſcrimine Littora, veraq;
Alueus incano ſimulabat Flumina filo.
Multa per areolas Violis eſt purpura: multa
Formandis impenſa Roſis: flaueſcere miro
Iuſſa ſimul Crocus, & candeſcere Lilia textu,
Atq; alij pallere, alij liueſcere flores.

61 Sur-

61 *Surgebat diuerſa viis hortenſibus ar-*
bos
Quæq; colore ſuo. procerior vna virentes
Tendebat, viſu pulcherrima brachia, ramos
Et grauidos paſſim decumano pondere fœtus,
Qualibus ad ſeſe deceptas æmula veri
Ars traxiſſet aues, contemta Zeuſidis *vnâ.*
Propter Adamus *erat, facili genus omne leo-*
nes
Imperio tigridesq; regens: necdum ille ſenecta
Vllius aut mortis metuens: ſed læta ſuarum
Inter opum ſtabat viridaria tutus: & vltro
Accipienda feras faciles ad iura vocabat.
Eua *etiam (ah generis male cauta nouerca fu-*
turi!)
Pingitur, vt vetito ſteterit iam proxima ramo,
Numinis vt ſpreta paulatim lege nocentem
Admorit ſuperata manum; pomiq; potita
Illecebris eadem hæc irritamenta marito
Suaſerit incauto! Non abnuit ille probatas
Infelix epulas, pomoq; momordit in vno
Et natos natorum, & qui naſcentur ab illis.
62 *Callidus hæc inter ſquammoſo tergore*
ſerpens
Funereo victor damno gauiſus ouabat,
Seq; ſuas iam iam voti reus, abdere furtim
In latebras, oculis ſanie liuentibus atrâ,
Inflatusq; iubas, caudæq; volumina torquens,
Ca-

Cœperat: Hic verſis ſubijt mutatio rebus
Altera. Pelluntur profugi extorreſq; beatis
Sedibus: à tergo propior fugientibus inſtat
Parca metu comitata, Fameque Sitique ſequuntur
Et Labor, & Lacrimæ, & miſeris in rebus Egeſtas,
Numquam viſa prius. Comitum miratur Adamus
Degenerem pompam. Neq; ſe fœcunda mariti
Eua recordatur tantum effudiſſe nepotum
Vnâ nocte gregem. Renuunt agnoſcere prolem
Auerſi, & prohibent venientibus oſcula natis,
Occluduntq; ſinus. Sed eo maiore laceſſunt
Ambitione patrem, matriſq; tenacius hærent
Infeſta Soboles. Clauduntur montibus Horti
Deuiq;, & obiecto munitur ſemita vallo.
Totus Arachnæi textâ ſub imagine veli
Conſpectus patuit, telâ variante colores
Nunc hos, nunc illos, quo ducere quemq; decebat;
63 Donec in hortorũ Cuſtode venuſtior Vno,
Hæſit acus, ſeq; ipſa ſibi miranda fefellit.
Nam vigilem (Genijs quem de cæleſtibus horto
Appoſuit Genitor, ferroq; armauit & igni,
Ne profugos ſineret ſperata in prata reuerti)
Vſq; laborato fulgentem veſtijt Oſtro
Inſeruit geminos oculis Adamantas apertis,
Et rutila paſſos diſtinxit Iaſpide crines:
Puniceo chlamydem de Murice pinxit: & Auro
Inſignes humeris ſublimibus addidit alas.

Sic media cæli volucrem ſuſpendit in aurâ,
Fulmineum dextrâ telum lauaq; rotantem.
Cingentemq; metu nemus inſuperabile. Credas
(Lenibus afflentur zephyris vbi lintea) totum
Viuere ſublimem, motaq; per aëra plumâ
Alternare humeros, & aues æquare volatu,
Vibratoq; grauem profugis mucrone minari.
Illi autem aduerſa miſerandi in valle negatas
Lamentantur opes, lacrimisq; cadentibus optant
Perdita felicis nequicquam gaudia campi.

64 *Hæc Phrygiâ complexa parens erat omnia telâ,*
Vt donum merita mox diſceſſura Meluſſæ
Linqueret, hoſpitij memor. At pleramq; Meluſſa
Materiem dederat locuples, conchylia largè
Argentumq; aurumq; operi gemmamq; futuro:
Addidit illa manus artemq;, vt iudice Nilo
Materiam ſuperârit opus: memorabile textum.

65 *Sexta* Parętoniis *iam ducta in finibus æſtas*
Ceſſerat, & glacies horrebat ſeptima brumæ,
Fabrili cùm forte redux à mole reuerſus
Membra ſoporifero Senior *dedit ægra grabato:*
Vtq; facem tacita pallentem Cynthia *nocti*
Luxerat, ecce iubar ſubit in penetrale, locumq;
Anguſtat radijs: volucer ſuccedit Ephebus
Inſignis facie, & niueis pulcherrimus alis,
Non qualis (memini) cum quôdam nocte ſoporâ
Triſtior, & vultu tacitum prodente timorem,

Ma-

Maturare fugam, & mutare Sionia *regna*
Iuſſerat exilio: ſed fronte ſerenus amana,
Et placido, (quali lætantur ſidera) vultu:
66 *Quid* Peluſiaca Ioſippe *ſeneſcis in orâ*
Hoſpes? ait, terráq; iaces oblitus auitæ
